



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Statera Libelli Famosi, Cui Titulus La Morale relachée
fortement soutenue Par Monseigneur L'Archeveque De
Malines**

Fontaine, Jacques

[S.I.], [1692]

urn:nbn:de:hbz:466:1-39034

li
osi
Linceo.

h
7

447
Th 447.

D. 1
36.

STATERA
LIBELLI FAMOSI,

CUI TITULUS

*La Morale relachée fortement sou-
tenue*

Collegi Sots leps paderborn 1693.

P A R

MONSEIGNEUR

L'ARCHEVEQUE

D E

MALINES

P E R

DIDACUM DE OROPEGA.

АЯЕТАТЭ

三〇

THE MAMMALS

三三七

MUSEO DE ORO DE MEXICO

CAPUT⁽³⁾ PRIMUM.

Expenditur infamis Titulus

MORALIS
LAXIORIS

E T

Ineptiis, fallaciis, calumniis, plenius esse convincitur.

Quid Reverende admodum Domine annis superioribus Libellorum, Scriptorumve à Neo-Augustini Discipulis in lucem editum nancisci potui, quantum per occupationes magis necessarias licuit, evolvi studiosius, quam talium Autorum opuscula merebantur. At nullum offendit impudentius, nullum Theologo indignius, quam quod sub hoc titulo edidisti, *La Morale relachée fortement soutenue &c.* unde quibusdam illud Arnaldo adscribentibus respondi, aut ejus Autorem non esse Arnaldum, aut detrito ingenii acumine luxatum Arnaldo, turbatumque cerebrum, nihil tanto dignum nomine procudisse. Quid enim Libellus hic solidæ ratiocinationis continet?

A 2

qui d

quid non potius stolidæ criminationis? ipsa
 Libelli fronte, vocibus penè singulis, impu-
 dentiam tuam manifestè prodis, atque stul-
 titiam. Quis enim titulum hunc contem-
 platus, *La Morale relachée fortement soutenue par*
Monsieur l'Archeveque de Malines justement
condamnée par le Pape Innocent XI, & mal de-
fendue par Didacus de Oropega, dont on fait voir
les erreurs, les impostures, les injures, & les
calomnies par G. Prieur de S. Martin, Quis,
inquam, non existimet, Tractatus integros,
vel ingentem propositionum cumulum, ex
universa Theologia Ethica, à te referen-
dum? quis non expectet Thcologiam, quam
Illustrissimus in pso Archi Episcopatu, vel
faltem ætate maturâ tradidit, seu verbo, seu
scripto? Quis non autumet propositiones
Illustrissimi non paucas ab Innocentio XI
profligatas? demonstrandas verò à Domino
Priore S. Martini in argumentis meis falla-
cias, atque ineptias, detegendos errores va-
rios minimè leves, mendacia, calumnias,
tota passim Confutatioue dispersas? quid au-
tem ex promissis tam magnificis præstas
miles gloriose? exhibes propositiones novem,
quarum prima, teste Alexandro VII, tunc
in Scholis erat communior, nec deinceps
condemnata, aut communiter rejecta, imo

&

& censurari vetita est Decreto ejusdem Alex-
andri. Inter alias nulla Vaticano fulmine
afflata est, si saltē quintā excep̄is, quæ
agit de Communione sacrilega. Neque hæc
in ullius Autoris determinatè, & explicitè
sensu damnata est, sed tantum, prout jacet.
Propositionem autem Illustrissimo objectam
quædam circumstantiæ limitant, quæ non
ad sunt articulo condemnato; verum fac e-
nuntiationem illam eodem proscriptam esse
sensu, quo anteà à Theologis traditam,
tantumne flagitium est in Adolescentia, in
Theologiæ Tirocinio, ex præscripto Pro-
fessoris pro exercitio Scholastico illam defen-
disse, quando inter Doctores omnium or-
dinum, pietate, & doctrinâ conspicuos
tradebat̄ triginta, & amplius annis an-
te prohibitionem? hoccine meretur, ut
tam insolenti titulo, post quadraginta tres
aunos, quibus Thesis Patris de Scildere o-
blivioni data est, insultetur ejus olim de-
fensori, nunc Archi-Episcopo? ideòne char-
tis infamib⁹ toto Belgio, alijsque vicinis re-
gionibus, etiam in Gallia, & Italia dissem-
inatis, proclamanda fuit Theologia Illu-
strissimi Mechliniensis, tanquam pietatem
omnem pessimumdans, & Religionem Chri-
stianam? hoccine est Theologiam dissolutio-

rem ab Archi-Episcopo sustineri , & qui-
 dem , ut ais , pertinacitè? effetne tolera-
 bilis impudentia , si propter propositionem
 unam de Communione sacrilega , damnatam
 ab Innocentio XI , defensam antè à Docto-
 ribus passim Lovaniensibus , iisque Illustrio-
 ribus , Guilielmo Mercero , Joanne Wig-
 gers , Joanne Sinnichio Gerardo van Werm ,
 Andreà Laurent , Michaële Paludano , Gui-
 lielmo Tasselon , Guilielmo ab Angelis , Ja-
 cobo Pontano , Theologiam istorum illimi-
 tate criminarer , tamquam à Sede Apostoli-
 ca debellatam ? At Theologicarum disputa-
 tionum Præsides non concinnant Theses ,
 sed defendantes Discipuli ; intelligo : ideo sci-
 licet Discipulis Academicis , non Professori-
 bus juxta vos imputandæ sunt Theses , quia
 ab illis , non ab his fabricatæ sunt : sed , a-
 mabo , quisquamne vestrūm persuasum ha-
 bet Theses ab Illustrissimo olim defensas ,
 ab eodem tunc Discipulo fuisse compositas ?
 an verò à R. P. Ludovico de Sc Idere ejus
 in Theologia Professore , & disputationis
 Præside ? nullam Illustrissimum in earum
 compositione partem habuisse certum est :
 sunt enim Tractatus penè integri de Sacra-
 mentis in genere , & singulis in specie , prout
 in Schola publicè à Professore dictati sunt .

quæ-

Quænam igitur ea lex æquitatis , ut præte-
rito Magistro vero Thesium Autore , ar-
guatur Discipulus ? aut fortè magis crimen
est Discipuli , peæscribente Thesim Profes-
sore , defendere , quām Præsidis non cor-
rigere scandalosam sibi à Discipulo exhibi-
tam , ejusque defensioni non adesse tantum ,
sed præesse , ac Discipulo , sicubi fortè ad
angustias redigitur , suppeditare clypeum ,
quo tela ab argumentantibus intorta repel-
lantur. Sic ipsi Thesim Divisionensem de pec-
cato Philosophico Professori adscribitis , non
Discipulo , quamvis apud Jesuitas usu rece-
ptum sit , ut Discipuli Theses feligant , non
Professores. Sed Illustrissimus Mechliniensis
hæresim Jansenianam , aliasque Novitates
vestras non patitur : ideò ejus fama , jure ,
sive injuriâ , saltem apud imperitos deni-
granda fuit , & conculcanda autoritas. Fu-
tilis criminatio , & Theologis Autoribus in-
digna ! sic Prior umbratilis cum tuis Anti-
monachis singulariter exemptis omni huma-
nâ potestate , etiam Pontificiâ , tibi jus dicis
pro libitu , æquitatem professus , & rigorem ,
sed magis versatilem , qnām sit Scholastico-
rum probabilitas , aut gratia Molinistarum.
Quoniam autem Professores Academicos tam
sollicitè liberare contenditis ab invidia The-
sium ,

sium , si quid illæ reprehensione dignum continere videantur , cur non liberatis Jesuitam Mussipontanum ab infamia Thesios negantis præceptum speciale charitatis? Discipuli Academicci non alia passim propugnanda suscipiunt , quamquam quæ in Schola Academica didicerunt. Quapropter si scandalosa , si damnabilia , aut jam damnata dogmata Thesibus suis inferant , meritò in errorum illorum suspicionem vocantur Professores , non autem Mussipontanus Jesuita ; cum Defendens nullum Societatis Theologum nactus sit Professorem , & Mussipontanus semper oppositum docuerit , tum ante , tum post Thesim ab hoc sæculari defensam , quam mox ubi legens detexit , cum aliis illic Professoribus , & Rectore , censurâ publicâ diu ante Alexandrum VIII condemnavit. Et tamen Discipulo à vobis parcitur , non Professori , cuius unicum crimen fuit præposta urbanitas , quâ nimium tribuebat prudenter peregrini defendantis , ejus Thesim legendi non sollicitus , quam videret dicatam Episcopo , idèoque confideret satis esse legitam , certè non scandalosam , non hereticam.

Quid impudentiam tituli , quem infamî operi tuo præfixisti , pluribus persequar ? ut

Le -

Lectoreim totics repetita eadem legere, ita
& me tñdet quam maximè, ea, quæ tum ex
Confutatione, tum ex *responso ad examen*, ex *E-*
pistolis ad Illustrißimum Pontificis in Belgio In-
ternuntium sunt manifesta, & omnium ocul-
is exposita, inculcare operosiùs. Quia ta-
men ab infaciendis, quæ sñp ùs rejecta, &
confutata sunt, non desistitis, juvat crimin-
ationis iniquissimæ, etiam stultissimæ refuta-
tionem regerere, ne plus apud vos calum-
niandi libido, quam justæ apud nos defen-
sionis studium valuisse videatur. Fortè & in
plurium manus vestra accusatio, quām prior
nostra defensio pervenerit.

Alterum accusationis caput est, quod *do-*
ctrinam Illustriſſimi condemnatam, malè defende-
rim. Hic iterūm quot voces, tot fraudes,
& mendacia. Nam neque Theologia The-
sibus expressa, est doctrina Archi-Episcopi,
neque ex una propositione damnata, rectè
dicitur damnata Theologia Moralis alicujus
professoris, multò minus Discipuli; neque
à me ulla propugnata doctrina est, quam
Innocentius XI proscriptis, aut Theologus
nullus pernicioſæ laxitatis convicit. Pauci
dies sunt, cum jactari audivi ab adversariis
Decretum adversùs propositiones octo ex
Thesibus Patris de Scildere excerptas Romæ
jam

jam editum esse, & intra dies quindecim in
Belgio expectari. Sic nempè me ab Illu-
strissimi defensione, & responsione ad in-
fame opusculum *la Morale relachée* abstur-
rendum putarunt. Verùm jam pridem didi-
ci, non habendam temere Jansenianis ru-
moribus fidem: neque vereor, ne Confu-
tatio mca Romæ disPLICuerit, quo ipse eam
jam à mensibus aliquot ultrò transmisi, &
quidem ad Eminentissimos S. Officij Cardi-
nales, & Illustrissimum Assessorem. De pro-
positionibus, de quarum veritate non dispu-
tavi, statuat Apostolica Sedes, ineptas ad-
versariorum argumentationes explosi, crimi-
nationes iniquissimas repressi, sensum Præsi-
dis, & defendantis, quantum per Aposto-
licam Sedem sicut, vindicavi. Hanc Illu-
strissimi causam, quam spontè suscepi, num-
quam dimittam, nisi eorum, quibus obser-
vantiam debo, coegerit autoritas. Cetera,
quæ opusculi tui titulus pollicetur, non mi-
nus præclara sunt, & quæ Lectoris No-
vaturientis animum ad singula percurren-
da allicant. Demonstratum te promit-
tis errores meos, mendacia, injusta con-
vicia, & calumprias. Fateor, scapham, sca-
pham, ligonem, ligonem vocare soleo;
Jansenistas Augustini discipulos dicere non
pos-

possum , nisi addendo *Iprensis* : non tam
 men adeò , ut arbitraris , pervicacis sum in-
 genii , ut ubi quisquam , sive aamicus , sive
 adversarius errorem qualecumque à me as-
 sortum esse probaverit , non illicò refractare
 cupiam : Tu verò Domine Prior , si exemplum
 meum sectari volueris retractando errores ,
 mendacia , convicia , calumnias , quam tan-
 dem opusculi tui partem servabis ? Quam
 non destrues resiliendo ? Quis enim in toto
 libello tuo paragraphus , quæ pagina errori-
 bus , mendaciis , conviciis , calumniis non
 scatet ? Nisi tibi plura , quam centum exhi-
 buero , nolim haberi Thcologus , plura nu-
 merare fastidio est . Quam à me impactam
 quereris Arnaldo tuo defensæ hæresios ma-
 culam , abstergere non recuso , nisi accusa-
 tionem argumentis satis probabilibus , quid
 ni dicam moraliter certis stabilivero ? certè
 tam insolenti , tam confidenter propositæ
 questioni , quam Autori , sive is Arnaldus
 sit , quod hic negat , sive ejus Amanensis ,
 quod indubitatum est , appellare placuit cu-
 riosam , *Question curieuse* , respondebit forte
 paulò accuratiis cui otium est . Priorem te
 scribis S. Martini , gratulor dignitatem , &
 revereor . Sed ubi quæsō eam obtines ? An
 Lovanius ? magis religiosus est prior ille , quam

ut

ut tam infamis opusculi Autor sit. Certum
est irreligiosum te Anti-Monachorum , &
Jansenistarum Priorem esse minimè regula-
rem. Cujus igitur observantiæ ? *Rigidioris* ,
iniquis , non *Episcopalis* , non *Pontificiæ* ,
non *Catholicæ*. Sive Genevensis Prior sis ,
sive Leerdamensis , cuias fuit Neo-Augusti-
nus , non minoris meriti es , quam Francis-
cus Manseau nupèr creatus Præpositus in pa-
tibus infidelium. In *Responso ad ejus Examen* ,
aiebam , me expectare brevi , nescio cujus
Dioecesios Episcopos , non Dei , non Apo-
stolicæ Sedis gratiâ , sed Arnaldi potestate
initiatos. Nunc video spem affulgere novo-
rum etiam Abbatum. Ejusmodi promotio-
nibus proximi sunt , quotquot sive è Gallia
propter Jansenismum profugi , sive Archie-
piscopo Mechliniensi rebelles , malunt statio-
nibus moveri , & quâcumque notari infamâ ,
quâm novitatibus renuntiare , parere decre-
xis Pontificum , corumque definitionibus quan-
tuvis ab Ecclesia receptis subscribere. Sic
nempè persuadetur imperitis , sic in exteris
Regionibus spargitur , viros Amplissimâ di-
gnitate fulgentes , tûm inter Sæculares Cle-
ricos , tûm inter Regulares , & Religiosos ,
aperto marte , non dissimulatis suis nomini-
bus scribere adversus Archiepiscopum Mechli-
nien-

niensem, ejus tūm mores, tum doctrinam, Ecclesiae illius Primoribus gravissimè cōspicere, ab iis intrepidē, & publicē impugnari. Expendamus singula accusationis capita, *errores, mendacia, calumnias*, quæ mihi in Libelli tui titulo impingis tām liberalitè. Non defunt, quæ tibi reponam etiam liberalius. Sed prohibendus mihi stylus est; quando cum viris Amplissimis, nec mediocritè Reverendis disceptandum, quamvis & pro Archiepiscopo apprimè Catholico, & contra Ecclesiae rebelles, hæretici sensus sub Augustiniano nomine tenacissimos.

CAPUT SECUNDUM.

Expenditur Paragraphus primus de instituto Operis.

Quibus familiare est in re perspecta mentiri, facilius concedendum est, uti conceptas temerè opiniones, tanquam indubitas veritates pronuntient. Manifesta mandacia, vel in ipsa operis fronte non pauca deteximus, nunc autem fallacem titulum etiam Jesuitæ vocabulo angendum putasti, *Moralis dissoluta*, inquis, justè condemnata ab Innoc. XI. malè defensa à Didaco de Oropega Societatis Jesu. Mihi quidem non

B in-

injurius es vocabulo tam honorifico ; quid enim honestius , quam JESU Sociis annumerari , accenseri Ordini , cuius integerima apud omnes fama est , cuius in Ecclesiam merita sanè illustria sunt , qui Orthodoxis passim amori est , & venerationi , quodque non minoris gloriæ , hæreticis passim odio est implacabili ? Quin gratias à me referres , si non ementitus Prior , sed verus fores Societatis totius , vel Provinciae saltem moderator . Jam enim inter socios longè me digniores locum mihi oblatum crederem , nec ducerem recusandum . Rectè quoque facis cum debitum Ordini illi titulum tribuis , ab hæreticis arrodi solitum , tuisque inusitatum Gregalibus , qui vel *Societatem* tantum vel *Societatem Nominis JESU* appellare malunt sultâ cavillatione . An non enim indicatum volunt solam nominis communionem ab illa congregatione affectari , non virtutum imitationem ? In hoc igitur æquitatem tuam laudo , sancti Martini Priore non indignam . Verum potestne arbor mala fructus undique bonos facere ? An non illud , quod officio , & à circumstantiis præcisum laudabile est , intentione pravâ , aliisque accidentibus deturpatur ? Nulla hic divinatione opus , nec inani conjecturâ : Societatem JESU quam

ca-

cane pejus, & angue odisti, ream agere de-
creveras protritæ autoritatis Pontificiæ , cum
post prohibitionem Innocentii XI. ausa est in
suo Didaco de Oropega propugnare pertina-
citer propositiones ab eodem Pontifice con-
demnatas. Nusquam me in Decretum illud,
aut aliud quocumque impegitse demonstra-
vi luculentè , Epistolis sex ad Illustrissimum
Pontificis in Belgio Internuntium. Unde
hoc ipso gravioris calumniæ reus convince-
ris , dum non mihi soli , sed etiam Societati
Jesu hanc maculam aspersisti. Altera impo-
siti mihi nominis Jesuitici ratio non minùs
fallax , & flagitiosa est. Nullibi Arnaldi ar-
mamentarium copiosius est, nullibi telis magis
virulentis instructum , quam ubi cum Socie-
tate certandum. Huic à Theologiæ incuna-
bulis bellum indixit Arnaldus : quidquid us-
qnam de Jesuitis invidiosi ab hæreticis con-
fictum , quidquid ab aliis Societatis adversa-
riis , vel æmulis temerè in eam jactatum est,
quinquaginta annorum spatio avidè collegit ,
futurum deinceps Libellis infamibus condi-
mentum. Ut igitur Amplissimus Calumnia-
torum Prior materiam aucuparetur uberio-
rem , Jesuitæ titulo decorandus fui. Sic proxi-
mi Jansenistarum Affines , Calvinistarum
Ministelli , nusquam , quàm ubi in Jesuitas

debacchandum est , disertiores , quoties-
cumque ad dicendum pro concione minimè
comparati sunt , vel deficiente suscepti argu-
menti materiâ , vel nescio quo casu , desti-
tuente Oratorem memoriâ facile tempus
implere solet , ubi qualicumque usus transi-
tione , ad Jesuitas declamationem diverterit .
Mox P. Moyam Serenissimæ Hispaniarum
Reginæ Confessarium , mox Patrem quem-
dam Pirottum , mox , Sirmundum in scenam
producis , sequuntur Patres Escobar , & Ægi-
dius Estrix infestum Jansenistis nomen , ac-
cessunt ex ultimâ Orbis plaga Societatis
Missionarii ambitionis potius , & avaritiæ stu-
dio , quâm Divinæ gloriæ , aut salutis ani-
marum , tot maria emensi . Si Arnaldo cre-
dimus , de tam enormibus jam sapientius men-
daciis convicto . Si specimina aliquot lector
desideret , adeat *Catholicam Querimoniam* , &
Defensionem novorum Christianorum . Frustrâ spe-
ras Domine Prior , ab institutâ quæstione
hoc pacto me divertere . Causa hic Illustrissi-
mi , & mea discutienda est : Doctrina Ar-
chiepiscopi cum adversariorum dogmatibus
conferenda , utraque æquâ lance ponderandâ
sunt , tandem controversia Sedis Apostolicæ ,
& Eminentissimorum Cardinalium judicio
dirimenda . Quæ ad Illustrissimi , meamqua-
de-

defensionem pertinent, videri possunt in Epistolis ad Pontificis Internuntium, hæc cuilibet æquo Arbitro abundè sufficiunt, quare ne toutes iteratæ dictorum repetitione frustrà Lectori molestis sim, tantum hic mendacia tua magis perspicua recensebo, paucis castigabo ineptias, & subindè, ubi quid novi argumenti attuleris, Sophisticam ejus vanitatem demonstrabo.

Pag. 4. dicis Cor. de la Montagne, ubi Mores Illustrissimi defendit, promittere Opus justæ molis, quo ejusdem doctrina à calumniis vindicetur. Tum quæris an, si per Opus illud justæ molis intelligi voluerit confutationem mox subsecutam, meritò applicari hic non possit illud, parturiunt Montes nascetur ridiculus mus? Opusculum Cornelii de la Montagne ubique perlustravi, nusquam mentionem reperio Operis justæ Molis, promittit accurratam totius accusationis, ad Doctrinam quod attinet, discussionem. An fidem ejus non libraverim, cujuslibet non Janseniani exposco judicium. Quid hereticis facias, quibus, si ingentia volumina objicias, ut objectit Bellarminus, insultat Cardinali Calvinista Amesius, ejusque Librum controversiarum vocat Mollem sine Nervis; si paucis multa complectaris, exprobratur Opusculi brevitas, moles desi-

B 3 de-

deratur. Steyartium credo hic tacitè Notari adversarius voluit, tanquam promissi *Operis justæ Molis* etiamnùm debitorem. Verùm prolixo opere supersedere Steyartius potest, dum solus ipse brevioribns suis lucubrationibus tam nūnerosam factionem satis occupat. Quid autem mihi expectndum fuisset sœvæ persecutionis, si *Opus justæ Molis* obtrusissimum, qui tam exili Opusculo totam in me commovi Hierosolymam? Desinat, quæso, Amplitudo tua brevitatem meam reprehendere, desinat tam importunè molem expetere, vel à Confratribus suis veniam hanc mihi impetrat, ut institutam nupèr inter Doctrinam Archiepiscopi, & Novatorum comparationem paullulum liceat producere. Præstet quoque typorum sumptus, quos res mea familiaris tenuis admodum in his temporum angustiis non patitur: & intra hujus anni terminos, si non à me, certè ab alio, ut confido, disquisitionem Historico-Theologicam circa quæstiones controversas, præsertim de Janseniano phantasmate, referes, quam de brevitate non accusaveris.

Pap. 5. ajs: *Inficiari me non potuisse, propositiones Illustrissimo objectas, reverà ab illo fuisse propugnatas, idèoque me earum defensionem suscipere configiendo ad aliorum autorum consensum,*

ad

ad distinctiones fuitiles, & recriminationes iniquissimas. Quid ni aliorum explorem sententias, præsertim si Autores sint gravissimi, si Episcopali, si Cardinalia dignitate fulgentes, nequè de perversis aliundè dogmatibus suscepit, sed sancti, sed communi Theologorum calculo probati? quid hic dignum reprehensione? quid ab usitatâ Theologicas quæstiones discutiendi ratione alienum? quid non in scholis omnibus receptissimum? ne vestram quidem Pseudo-Augustinianam excipio. Scotistarum, & Thomistarum autoritates adeò non fas idit ubique, aut contemnit Jansenius, ut complura capita illis sibi vendicandis unicè impendat, imò verò quædam hæc Jansenistarum proprietas est, ut, si quid non nimis patenti absurditate pudendum ediderint inscripto Autoris nomine, longam ostentent Approbatorum seriem. Videri potest Sancyrani Petrus Aurelius, Arnaldi liber de frequenti Communione; ipse Cornelii Jansenii Augustinus, non solis censorum tunc Ordinariorum Jacobi Pontani, & Henrici Caleni approbatione muniendus fuit, sed quot undequaque pro infelicis illius fœtūs defensione emendicata sunt suffragia! non omnis sententia sana est, quæ aliquorum suffragiis firmata est, ut rectè mones,

id-

idque non in solis moralibus propositionibus scandalosis compertum est , sed in Theorici non paucis à Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. & nuper ab Alexandro VIII. hæresios condemnatis: neque trecenta per R. adm. P. Provinciale N. Romam transmissa ex Belgio Jansenistarum testimonia , librum Jansenii , ejusque sententias , & sensum anathemati subduxerunt. Non igitur certum semper argumentum præstat multorum , præsertim Neotericorum consensus. Hic tamen sufficit ad opinionem ab omni temeritate liberandam , & adversus paucorum obrectantium privatas censuras defendendam , maximè si hi de erroribus in fide gravissimis aliundè passim habeantur suspecti , si Apostolicis constitutionibus refractarii , illi verò famæ sint apud omnes integrissimæ , Pontificiorum omnium Decretorum reverentes , execrantes omnia proscripta dogmata eo sensu , quem Pontificum sanctiones confixum esse decernunt. Non alios ego Autores profero , proferre passim gaudent adversarii , dum satis multos viros rectos , & simplices , terminorum quorundam æquivocorum fallaciis nequeunt circumvenire. Quid non molitus est Eximus D. Martinus Henricus de Swaen , ut Patres Domini-

minicanos , & Augustinianos ad subscripten-
dum Epistolæ suæ induceret , etiam ex voto ,
ut aiebat , Illustrissimi Archi-Episcopi Seba-
stiani Hollandiæ Vicarii ? ab his repulsam
passus , unicum inter Religiosos incautum
nactus est Carmelitam Discalceatum , qui è
Conventu Bruxellensi accersendus fuit , &
nobis magnifice ostendandus . Præter hujus ,
& duorum minus perspicacium Doctorum ,
etiam Guimari Huygens , & Hennebelli
autoritatem , qui licet non privatis tantum
hominibus , sed Regi Catholico , atque
ipsi Pontifici de Novitatibus , & Jansenismo
suspecti sint , eorum scripta Vaticano fulmine
profligata , videntur tamen Martino nostro
non leve sententiis suis momentum subscrip-
tione suâ allaturi .

Argumenta alia Theologica ex scriptura-
rum oraculis , Conciliorum , ac Pontificum
definitionibus deducta , quantum necessitas
postulat , & instituti mei ratio patitur , non
prætero , quamvis multa , quæ ubique ob-
via sunt , & millies decantata , ne erudito le-
ctori hoc tempore tot libellorum quotidie
novorum ferace tedium pariam , non dux-
rim iteranda . Distinctiones Jansenistæ futilis
vocant , & sophisticas , quæcumque confu-
fas , & implicatas eorum cavillationes luci

expo-

exponunt , & de ineptia nimis solidè convincunt. Ejusmodi censuris non commoveor, edoctus multâ libellorum Jansenizantium lectioне , nusquam Pseudo-Augustini discipulos premi arctius , quam ubi de Sophisticis queruntur distinctionibus , de cavillationibus, quæ responsum non mereantur. Verius appellarent sophismatum suorum solutiones , & cavillationum convictiones nimis manifestas, ideoque sibi levi explosione transiliendas potius , quam irrito conatu impugnandas.

Frustrà mihi recriminationem objicis qui criminaciones vestras directè impugno , & evertò , tum verò justissimam adversus vos accusationem à me institui quis ægrè ferat, præsertim dum ad causæ præsentis , & à vobis temerè institutæ discussionem est opportuna ? in hoc consentio Autori nuperæ ad Arnaldum Epistolæ aduersus primam ejus , & secundam querelam , numquam Arnaldum , ejusque confederatos manifestius reos deprehendi , quām ubi altissimè vociferantur , & maximè flebiliter queruntur de injuriâ. Imbellis profectò defensio , causæ suæ diffidentis , & desperantis evidens arguendum.

Quod ais pag. 5. admittere me , quod Archi-Episcopus propositiones ab Autore libel-

Si les sentimens , relatas saltem in Theologiae Tyrocinio defenderit , palmare mendacium est , cum tam in confutatione , quam in Epistolis ad Illustrissimum Internuntium plerasque propositiones infidelissime Thesibus excerptas , fœdè mutilatas , aliisque mutationibus corruptas ostenderim satis luculentè.

C A P U T T E R I T I U M .

Expenditur Articulus secundus de Attritione.

SEntentiam in scholis communiores de sufficientia Attritionis formidolosæ in Sacramentis Baptisini , & Poenitentiae , colloca verat infamis Autor libelli publicâ autoritate combusti , inter opiniones , quas generali censura definierat esse *Param Christianas* , & maximè contrarias , tum veritati , tum legi Evangelicæ , dixerat eam scatere horrendus consecrariis , hominemque exponere æternæ damnationis periculo . Monueram Autorem impingere in Decretum Alexandri VII. anni 1667. die 5. Maii prohibentis in virtute S. Obedientiae , & sub pena excommunicationis latæ sententia S. Sedi reservata , ne quis audeat (sententiam memora tam

tam) alicujus Theologica censuræ , alteriusve in-
 juriæ , aut contumelie notâ taxare . Miratur au-
 tem Reverendus Jansenistarum Prior , à me-
 virum illum idcircò redargui tamquam gra-
 viSSimæ inobedientiæ , & rebellionis reum , quan-
 dòquidem in opinionis illius defensores invictus
 non sit , contentus relatione consectoriorum , que
 per se horrorem incutiant . Quid est nugari si
 hoc non est ? An Pontifex tantum prohibet ,
 ne in Theologos quis invehatur ? An non
 etiam terminis , quēis nulli possunt esse ma-
 gis dilucidi , vetat , ne quis sententiam ipsam au-
 deat alicujus Theologica Censuræ , alteriusve in-
 juriæ , aut contumelie notâ taxare ? An nulla
 censuræ Theologicæ , alteriusve injuriæ , aut
 contumelie nota propositioni inuritur , Si
 statuatur esse parum Christiana , maximè contra-
 ria , tum veritati , tum legi Evangelicæ , consectoriis
 suis horrenda , &c ? Concludo iterum evi-
 dentè , libelli infamis artificem gravissimæ
 reum esse inobedientiæ , & rebellionis , vibratam-
 que ab Alexandro VII. excommunicationem latæ
 sententiæ incurrisse . Quid sibi vult hæc tua pag.
 7. exprobratio , quod ad diluenda consectoria
 nullam adduxerim rationem , nulla Scripturarum ,
 nulla Patrum testimonia , nullam Concilii definitio-
 nem , sed tantum turbam recentium Theologorum ,
 quæsi vero non semper reperiuntur satis multi opi-
 nio-

nionum dissolutorum patroni. Quid prius hic mirer? Tu amne in mentiendo confidentiam? an impudentiam in calumniando? nullâ ego adversus consecutariorum objectionem ratione dimicavi? An caput 2. confutationis inspexisti? enimverò scrutatus es diligentissimè, ut reperires aliquid quod carperes? an forte latini sermonis adeò imperitus es, ut verba mea, & sententias minimè obscuras non perceperis? non existimo. Quid igitur tandem suspicer? an Theologicâ te, imò & Philosophicâ scientiâ tinctum tam leviter, ut quid sit ratio, quid ratiocinari, quid ratione adversus objecta pugnare, prorsus ignores? in Theologia parum te versatum, aut multorum oblitum satis prodis toto opere, verum adeò te rudem esse, in animum inducere nequeo, ut credam. Nihil superest nisi ut te, dicam vel criminandi libidine nimis æstuantem, vel tui non satis compotem fuisse, vel quod magis verisimile est, Janseniano more mendacia mendaciis cumulare voluisse. Non gravetur lector adire confutationis Caput secundum, illîc præter communiores Theologorum consensum, & citatam non semel Concilii Tridentini definitionem, quam non privatim meâ, sed communissimâ Ecclesiæ interpretatione contrà Adversarios militantem

inducō , reperiet rationem adversus conſeſtaria ſatis maniſtām , quam hic in gratiam D. Prioris repeto . Geminum adverſariuſ confeſtarium horrore plenum , ut ait , ex Thesi deduxerat prium , quod quæcumque pec- cata quis commiſerit , veniam eorum poſſit confequi ſine ulla Dei dilectione ſecundum quod & ſalutem obtinere , quamvis nunquam Deum aetu amaverit ; ad quæ ibidem respondi ſatis multa , & ite- rum respondeo : vcl per particulam exclusivam ſINE ILLA Dei dilectione intelligis negationem omnis omnino amoris , etiam concupiſcen- tiæ Sanctæ , & virtualiter benevolentiæ , quæ quis vellet Deo æternū frui per visionem , & amore beatificum , æternū eum lau- dare , & glorificare , quia Deus ſic eſt finis ultimus , & objectiva creaturæ beatitudo , qui procul dubio eſt aliquis Dei amor , licet non formalis benevolentia , ſed infe- rioris perfectionis ad ſpem pertinētis . Eſt tamen virtualis amor benevolentia , quia vir- tute talis deſiderii Deo serviendi decernit fir- miter fervare omnia Dei præcepta , adeòque & charitatis divinæ : an non inchoata dilec- tio eſt , firmiffima voluntas diligendi dein- ceps Deum ex toto corde , ex totâ animâ , ex totis viribus , & quidem propter Deum ut in ſe , & ſibi bonum , præſcindendo ab ulla

mer-

mercedis intentione? Si ejusmodi quoque dilectionem formalem concupiscentiae bene ordinatae, & virtualem benevolentiae particula exclusiva removeat, perspicua est adversarii fallacia, & vanitas consecutarii, cum certum omnibus attritionis illius defensoribus sit, utriusque amoris hujus necessitatem cum Doctrina communi de sufficientia attritionis formidolosae optimè consistere. Quis enim neget, inter poenas à Deo infligendas gravissimam esse beatitudinis privationem? quis neget ad justificationem per Sacra menta mortuorum consequendam, requiri propositum efficax servandi omnia mandata?

Vel per particulam exclusivam intelligis tantum negationem amoris formalis benevoli. Hic autem vel est super omnia, vel non si primum requiris, Sacra menta Baptismi, & poenitentiae, desinent esse Sacra menta mortuorum, adeoque nunquam Baptisimus, nunquam absolutio Sacerdotis peccatorem adultum Deo primùm reconciliat, quod Tridentino non congruit, nequè modò infide satis tutum est, quamvis sit Joannis Lannoy, ejusque sequacium Novatorum sententia: alii cum Baio malunt dicere amorem Dei super omnia non justificare sine Sacramento, quæ doctrina in pluribus Baia-

nis propositionibus Bay sensu intellectis , à tribus Romanis Pontificibus proscripta est; adeòque incidis in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Horrore perculsus Duorum consecratio-
rum , ruis in damnatas anathemate positio-
nes , à quibus Author Thesium, ut patet , re-
motissimus est , à consecrarii utriusque ab-
surditate satis tutus. Cur enim admittere co-
gatur peccatorem post vitam omnem infinitis
criminibus transactam justificari , immo san-
ctis annumerari sine ullo actu amoris bene-
voli ? Thesis tantum statuit , quid per se re-
quirant Sacraenta mortuorum in adulto
peccatore , ut justificant , præscindit ab acti-
bus aliunde præceptis . Quid ni igitur respon-
deat Profesor , ut respondent alii ejus Socii ,
etiam qui hodiè Theologiam Lovanii pro-
fitentur , peccatorem , qui suo tempore
non servavit præceptum charitatis , teneri ad
illud quam primum ; cui si satisfacere tunc
detrectet , absolutionis incapax est , uti &
veræ attritionis , etiam mere formidolosæ ,
quæ juxta omnes sui defensores includit pro-
positum efficax omnia præcepta implendi eo
tempore , quo urgent. Si ignorantiam hu-
jus præcepti supposueris invincibilem , aliter
Profesor ratiocinabitur , sed cur hujusmodi
igno-

ignorantiam hic agnoscere teneatur? certe
tu nusquam admiseris, neque admittunt pas-
sim Scholastici. Falsum est igitur consecra-
rium absolutè, & moraliter loquendo, quid-
quid sit de hypothesi, quæ cum à parte rei non
existat, sed meræ speculationis sit, ad mo-
res nihil pertinet.

Si amorem benevolum quidem aliquem
requisiveris, sed non super omnia, quomo-
dò potest ex illo esse contritio efficax, qualis
exigitur in adulto reo peccatorum actualium?
Neque evadis horrenda, quæ nobis objicis
confectariorum portenta. Jam enim urgebo
pariter ex tua sententia sequi, quod, ut
peccator vitæ longævæ innumeris criminibus
commaculatæ, labes omnes abstergat, & bœ-
torum fruatur Societate, inefficax aliqua dile-
ctio sufficiat, etiamsi supponas eum nun-
quam Deum amasse super omnia.

Denique quamcumque inter Catholicos
receptam sententiam amplexus fueris, iisdem
premeris difficultatibus, si tamen difficulta-
tes morales sint, & non potius speculationes
otiosæ, aut pueriles ineptiæ, ad imponen-
dum imperitis, & conflandam viris illustri-
bus invidiam frustrà excogitatæ. Nam fal-
tem, si non, ut mitissimè loquar, pericu-
losa in fide volueris adstruere, sed admittas

non requiri ad Sacra menta mortuorum contritionem per se justificantem, non illam, quæ est plenitudo legis, non illam, quâ Deus diligitur ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus, inferam, ergo statuis adultum flagitiosissimum posse Deo reconciliari, & transcribi cœlo, etiam si numquam impleverit primum, & maximum præceptum. Age Novatorum Prior, ingenii vires omnes intende, ut responsione alia te expediās, quam eâ, quæ à nobis jam adhibita est. Responsonem tanto Priore dignam expecto, & novam, si nostra displicerit. Cur ad difficultares ejusmodi in *confutatione* propositas non respondes? polliceris responsū; sed nihil solvis difficultatis; immò ne attingis quidem, contentus referrere, quod ad justificationem requiras veram mentis ad Deum conversionem, hæc autem fieri debeat per amorem Dei super omnia. Sic populo imponis, & Theologus videri vis, qui, si Theologiæ limina aliquando salutasisti, non multum retulisti scientiæ; certè nihil prodis, ut me jam inde tædeat nugis tuis refutandis occupari. Pergam tamen juxta consilium sapientis respondere stulto secundūm stultitiam suam, ne, si tacuero, sibi sapiens videatur, & glorietur quasi de Triumpho.

Nul.

Nullos protuli Patrum locos , quin ad vindicandam à Contumelia sententiam Thesios fatis momenti habent , quæ tum hīc paucis attigi , tum in Confutatione pluribus disputavi. Neque Tractatus integros de una hīc quæstione conscribo , neque positiones Thesios assertiones meæ sunt : neque iis me subscribere necesse est , qui solū statui insulsas criminationes vestras retundere , & infirmas , imò puerilcs rationcinationes subruere. Quid dicam de invercunda tua responsione ad autoritates præclarissimorum ex omni ordine Doctorum , etiam Episcoporum , Eminentissimorum Cardinalium , Generalium Inquisitorum , & communiores Ecclesiæ sententiam , ipso Cardinale Pallavicino , quem recusare non debet adversarius , in celebri ad Pastores Gandenses Epistolâ sedis Apostolice , cujus est de Theologicis sententiis judicium ferre , scientiâ , & permisu in praxi receptam ? Revereri saltem debueras Eminentissimum Cardinalem Capuccii priùs Sacri Palatii Magistrum , cum vel solo Thomistarum pallio adversus Pontificum definitiones vos tutos arbitremini. Sed nullus Ordo tam facer est , nulla autoritas tam gravis , nulla in Ecclesia tam eminens dignitas , quam sibi opponi conspicatus non

ca

dem facilitate proculceret Jansenianus , quā
eam , ubi faventem natus est , mirificè ex-
tollit . Levissimo flatu tot Illustrium Viro-
rum numerosissimum agmen , imò potiorem
Ecclesiæ partem prosternit , dicendo tantum ,
*quasi verò non reperiantur semper satis multi dis-
solutionis Ethicæ Patroni.* Ità quidem , sed
an satis modesti , & sapientis Theologi par-
tes expleuisse tibi videbor , si vobis in ma-
teria de gratia , libertate , morte Christi pro
salute hominum , recentes quosdam Thomi-
stas citantibus , tam magnificè prædicanti-
bus Eminentissimi Cardinalis Laureæ sen-
tentias , responderem : *quasi verò non semper
reperiantur qui damnatis , & hæreticis opinionibus
suffragentur?* Non solâ Scholasticorum auto-
ritate assertionem suam roborat , sed vel
maximè Concilii œcumenici , quisquis com-
munissimam autoritatem refert ita Concilium
interpretantem . Sic non solâ Patrum , non
solâ hominum autoritate nititur , qui com-
munem Patrum interpretationem refert
divina oracula explicantium . Scio equidem
longè inferiores Patribus esse Scholasticos ,
saltem Neotericos ; sed an à Patribus peten-
da est interpretatio Concilii Tridentini , su-
periore tantum seculo celebrati ? An verò à
Doctoribus Catholicis , qui Concilio inter-
fue-

fuere , eiique vixerere proximi ? An temera-
 rius ille est , qui ut Scripturam Sacram , ita &
Conciliorum , & Pontificum definitiones in-
 telligit juxta communissimam Catholicorum ,
 piissimorum , doctissimorum acceptiōnem ?
 Verūm , quid à me Concilia postulas ? quæ
 si sententiæ communi apertè fāventia osten-
 dero , ubi aliæ vobis responsiones defuerint ,
 ubi non patuerit locus cavillationibus , in-
 fringere autoritatem Conciliorum vobis non
 admodum erit difficile . A Joanne Vergerio
 Sancyrano Abate didicistiis Concilium Tri-
 dentinum fuisse tantum Conventum Schola-
 sticorum , qui non parum recessere à veteris
 Ecclesiae institutis . Gregorius VII cum Ro-
 mano Concilio fœdè laceratur ab Ægidio
 vestro de Witte , qui & Florentino non mul-
 tum tribuit . Quid Patrum testimonia requi-
 ris ? Qui in Scholasticorum omnium libris ,
 & dictatis obvii sunt , ne desiderato quidem
 S. Augustino . Quos amabo accusator Patres
 nobis opposuit , quæ Concilia , præter Na-
 murcense , præter unum , inquam , Episco-
 pum cum aliquot Diœcesios illius Parochis
 adversus centenos omnium Ordinum Theo-
 logos clarissimos , Episcopos , Cardinales ,
 Generalem Hispaniæ Inquisitionem , contrà
 Communiorem Ecclesie sensum ; quamvis

ne-

neque ipsos Namurcenses Thesi adversatos
 esse ostenderim, confutationis 2. cap. An plu-
 ribus argumentis, an graviori autoritate ac-
 cusationem convellere debui, quam ipse ad-
 versarius nullo argumento stabilire nititur,
 præterquam duobus elisis à me, & in adver-
 sarium retortis consecutiis, nulla autoritate,
 præterquam Conventū illius Naumurcensis,
 & Suarezii accuratè à me discussā, & cum ac-
 cusatis Thesibus evidentissimè conciliatā in
 Responso ad Examen Francisci Manseau?
 Illudne legisti Domine Prior? Non legeras,
 antequam infamis tuus fœtus lucem aspexit,
 alioqui, si quid frontis tibi superfluisse, pu-
 duisset illum publicæ luci committere, nisi
 saltem prius expunctis, quæ hic ex libello
 famoso *Les Sentimens*, & *Francisci Manseau*
Examine descriptissi de Suarezio. Quodnam
 verò responsum ineptius, & minùs dignum
 disputatore Theologo, quam quo articulum
 concludis? Quæsiveram, qualem accusator
 amorem requireret ad Sacramentum Pœni-
 tentiæ: si amorem formalem benevolentiæ,
 & super omnia, opponebam difficultates
 gravissimas, ad quas tu ne verbum quidem,
 sola contentus professione, quod requiras
 amorem super omnia, quodque post institu-
 tum à Christo Pœnitentiæ Sacramentum nun-
 quam

quam remittantur peccata sine Sacramento
in re vel in voto. Hoccine est difficultates eno-
 dare? hoc agere disputatorem Theologum?
 ita solent Neo-Augustiniani tui Anti-Mona-
 chi, non aliter à Prioribus suis, Præpositis,
 & Professoribus, qualem se scribit Franciscus
 tuus, instituti ,non aliter majorum suorum
 exemplis edocti.

CAPUT QUARTUM.

*Expenditur Paragraphus tertius de
 susceptione Sacramenti indigna.*

Hic profectò, aut nusquam Dominus
 Prior se Theologum ostendit, &
 ingenio minimè plombeo. De statu
 quæstionis acutè disputat, accusatoris calum-
 niām solidè probat, confutationem egregiè
 vellicat, instat exemplis in materia non una,
 varios Theologiæ Tractatus pervagatur. De-
 nique ita litem instaurat, ut actum censeas
 de Thesi, & necesse sit omnem deinceps Ar-
 chi-Episcopi defensorem verecundo silentio
 hic obmutescere. *Illusterrimus*, inquit Prior,
*agnoscit quidem peccatum mortale fore, & sacri-
 legium, si quis ad Sacramentum accedat sine dis-
 positione ad effectum Sacramenti necessaria;* ve-

rum

rum idem Illustriſſimus in hac lege dispensat, &
 tum sacrilegio, tum peccato mortali eximis eos,
 quibus ad ejusmodi diſpositionem ſibi procurandam
 tempus non ſuppetit. Quis non existimet Hum-
 bertum Guilielmuſ à Præcipiano non ado-
 leſcente in Schola, aliquam ex Magistri præ-
 ſcripto Thesim defendere, ſed jam Senem,
 & Ecclesiæ Paoorem, pro ſua Archi-Epiſ-
 copali potestate diſpensationes paſſim elar-
 giri in Sacramentorum diſpositione, E. G.
 ut famuli, & ancillæ diebus Dominicis, &
 Festis, quando eis ab hero, vel Domina non
 permittitur, ut manè plus quam uni Sacro
 interfint, divino epulo reficiantur, non præ-
 viâ confeſſione, imò ne contritione quidem
 iuſtificante, ſi propter pœnitentium multi-
 tudinem ad Sacrum tribunal accessus tam
 citò non pateat, neque videantur ſibi poſſe
 ad contritionem perfeſtam hic, & nunc af-
 ſurgere? Sic Prior ſinceruſ ſententiam Illu-
 ſtriſſimi refert ſermone Gallico, ut faltem
 illi, qui & Theologizæ, & Latini idiomatis
 ignari non intelligent verba Thesios Latinè
 expreſſa, decipientur; aversentur Illuſtriſſi-
 muſ, tanquam diſpensatorem ſacrileguſ,
 certam gregis ſui perniциem, Ecclesiæ Chri-
 ſtianæ non ædificationi, ſed deſtructioiſ in-
 cumbentem. Verba Thesios ſunt cap. de Sa-

cræ

eramentis §. 10. Peccat sacrilegio mortali qui dispositionem pro gratia habituali accipienda requiri omittit, NISI QUANDO SUMMA NECESSITAS CONTRITIONI TEMPUS NON PERMITTERET. Audin *summam necessitatem suscipendi statim Sacramenti*, nec moras ejusmodi largientem, quæ comparandæ dispositioni debite sufficiant? Estne E. G. in famulis illis & ancillis, quibus deest dispositioni acquirendæ tempus, summa Sacramenti tunc suscipiendo necessitas? cur igitur latinum id:oma ignorantibus tam perfida interpretatione imponis, quasi omnibus illis, quibus dispositioni ad Sacramenti effectum requisitæ, tempus non suppetit, liceret citra necessitatem summam, immo citra necessitatem ullam Sacmentum suscipere? Vidimus in Nostro Jansénistarum Priore execrabilem perfidiam, & calumniandi artem, nunc argumentorum momenta expendamus. *Obligatio*, inquis, procurandæ dispositionis ad effectum Sacramenti necessariæ, est juris Divini, & naturalis, adeoque necessitas, quæ præparationi tempus non permittit, potest quandoque liberare hominem à Sacramenti susceptione, numquam vero permittere, ut quis accedat male comparatus, neque sic accidentem à sacrilegio, & peccato lithifero excusare. Alterum argumentum petitur ex ab-

D surdis,

surdis , ex innumeros videlicet *criminibus* , qui-
 bus hoc pacto via panditur , & *Sacramenta* , que
 ad salutem hominum instituta sunt , præbent plu-
 ribus exitii occasionem . Hæc argumenta ab Au-
 tore libelli exusti mutuatus , mihi rursus intor-
 ques , hæc exultabundus tanquam adeò in-
 vincibilia jaetas , ut ne audis quidem fue-
 rim ea attingere . Si omnia confutationis meæ
 exemplaria flammis absumpta essent , ut ab-
 sumpta sunt quædam infamis clientis iusli
 Supremi Senatus Geldrici , impunè menti-
 reris saltem apud eos , qui perfunctoria tot
 novorum libellorum lectione contenti , non
 nisi summorum ferè capitum retinent vestigia .
 Nunc autem ubi centena etiamnum super-
 sunt in Belgio confutationis exemplaria , quæ
 tibi in mente venit imponere tam splen-
 didè ? Primum argumenum in confutatione
 convulsum vide pag . 23. usque ad 25. secun-
 dum argumentum funditus eversum habes
 pag . 22. sub finem 23. 25. & 26. En tibi eo-
 rum compendium . Quamvis aduersetur juri
 Divino , & forte naturali , Sacramenti suscep-
 tio sine dispositione ad effectum recipien-
 dum sufficiente , quæ hic & nunc , urgente
 saltem summâ suscipiendi Sacramenti neces-
 sitate , haberi potest ; hinc tamen non se-
 quitur , quod susceptio destituta tali dispo-
 sitione ,

tione, quæ hic, & nunc esset impossibilis, in summa suscipiendi Sacramenti necessitate aduersaretur juri naturali, vel alteri cuicunque: sic Regium diadema, aut sceptrum pendibus conculcare, graviter indecorum est, reumque constituit læse Majestatis, ubi non est summa fugiendi necessitas, vel in fuga declinare potes hæc Regis insignia: graviter delinquit, qui propter crimen iussus aula excedere, neque deinceps Regem convenire, contempto Regis mandato, citra necessitatem, audet se Regi iterum sistere; gravius offendet, si non vereatur Regem etiam solidis manibus contrectare; quanto verò supplicio dignus censembitur, si Regem in cloacam detruserit? An hæc tantum juri humano, an etiam divino, & naturali adversantur? præstandam superioribus, reverentiam, atque obedientiam Deus præcipit, & natura. At, recte inde deduxcris, ergo læse Majestatis reus est, qui, persequente hoste, exitium evitare non potest, nisi eâ viâ fugiendo, in qua Regis insignia proculcanda sint? An perduellis censendus est, qui propter, nescio quod delictum, aula abesse iussus, aut alibi conspectum Regis subire prohibitus, si dein, conspiratione in Regem detectâ, imò & Sicario in Regem irruente accurreret eum ma-

D : nibus

nibus etiam sordidis , quando aliter non posset , eriperet discrimini , imò & , si opus foret , in cloacem detruderet ? An hoc reverentia Principi debita , an lex naturæ , aut positiva , seu Dei , seu hominum vetat ? Imò verò an non potius rationis lumen omnibus à natura inditum , id faciendum monet , atque imperat ? Nescio an quis alio casu se magis fidum Principi probare possit , ejusque rursum benevolentiam promereri . Quid opus est hæc Thesi controversæ prolixâ oratione applicare , quando ipsa per se applicatio satis est evidens ? Licet ergo ratio naturalis dictet Sacra menta cum præparatione ad effectum consequendum necessariâ suscipi oportere , ubi tempus permittit , vel non est summa suscipiendi Sacra menti necessitas , nullâ tamen hinc ratione lumini naturali repugnare convincitur , quando & talis præparatio impossibilis , & Sacra menti suscep tio summè foret necessaria . Atqui Sacra menti participatio nunquam est summè necessaria , nisi , vel quando effectum ex cā quis potest percipere , vel propter Sacra menti ipsius reverentiam . Prima disjunctionis pars locum non habet in casu proposito , supponit enim præparatio ad effectum Sacra menti non sufficiens , quando autem Sacra menti participatio ad ipsius

Sa-

Sacramenti defensionem est summe necessaria , estne tum ea participatio impia , ut declamas , juri , tum Divino , tum naturali repugnans , si supponatur omnis adhiberi præparatio , quæ in his temporis angustiis potest comparari , etiamsi , quidquid sit de hypothesi , supponatur dispositio ad effectum consequendum esse impossibilis ? afferis Domine Prior , afferuit & tuus à Geldriæ Senatu , sed manu carnificis nobilitatus cliens . At nullâ hic ratione probat , aut ne probare quidem mititur . Hoccine est invictè argumentari adeò , ut ne attingere quidem argumentum ausus fuerim , quod tam prolixâ , tam evidenti ratiocinatione exagitavî , dispuli , funditus everti ? Damnato suo clienti suppetias latrus infamis Prior me interrogat , quæstione , ut autumat , insolubili ; estne , inquit pag 15. licitum irreverentiam minorem majore irreverentiam ayterere ? Respondeo candidè , & breviter negative . Tum nodum constrieturus sciscitari pergit , an non gravior apud Deum irreverentia sit communicare corpori , & sanguini Christi in statu peccati mortalis , quam Sacram Hostiam pedibus conculcare ? Respondeo eadem brevitate , eodem candore negative , si de sciente , & volente sit quæstio . Hic me vehementius increpat ad-

versarius: Si Oropega, inquit, sibi persuadeat
 minus Deo detestabile esse peccatum mortale, malle
 Christum, si alterutrum eligendum sit, intrare
 cor dæmoni subditum, quam pedibus proteri, pa-
 rum admodum affequitur peccati mortalis turpu-
 dinem, & horrorem, quo illud Deus aversatur.
 Domine Prior, an hæc satis sobrius scrip-
 ris, non scio, certè turbatum tibi vehe-
 menter quacumque ex causa fuit cerebrum.
 Non enim Theologiæ multum peritum esse
 oportet, ut quis perspiciat multò graviorem
 irrogari Deo injuriam tam abominabili pro-
 culatione Sacramenti, quam ejus sumptio-
 ne tali, de qua Thesis. Oportet tantum
 non planè stultum esse, aut non cæxæcatum,
 ut quis discrimin videat, D. Priorem
 hic nos tam confidenter de cæxitate redar-
 guentem condemnnet, apertæque redarguat
 insaniæ.

Quis te, Reverende Domine, graviori ex-
 cipere irreverentia dicendus foret, an is, qui
 summâ necessitate compulsus, scilicet hosti-
 bus confedere te, aut conculcare certis,
 erupturus, in ædes suas pertraheret, fordi-
 das illas quidem, sed eâ reverentiâ, eâ præ-
 paratione, quam temporis angustiæ permit-
 tunt, an verò qui in tuam ipse domum irruens
 in eâ te crinibus arreptum, aut elisis fauibus

in

in terram violentè dejiceret , prostratum one-
raret verberibus , pedibus obtereret ? Adeò-
ne nitoris amans es , adeò sordibus inimi-
cus , ut Prioris hospitis qualicumque irreve-
rentiâ , si tamen non potius insignis reveren-
tia , juxta ac bencvolentia dicenda sit , magis
quam de posterioris illius violenti adversarii
immanitate , duceret conquerendum ? Non
existimo Domine Prior ; si aliter ad propu-
gnandam accusationis vestræ ineptiam loqua-
ris , certus sum nihil te sentire minus , nihil
minus electurum , si alterutrum tibi hodie
indeclinabiliter immineret . Quis autem in-
saniorum unquam exclamationem audivit aut
exprobationem magis ridiculam , quam hanc ,
si Oropegasibi persuadeat , minus Deo detestabile esse
peccatum mortale , malle Christum , si alterutrum
eligidum sit , intrare cor Dæmoni subditum , quam
pedibus proteri , parum admodum affequitur peccati
mortalis turpitudinem , & horrorem quo illud Deus
aversatur ? Appello sensum communem , &
omnium Ordinum , omnium ætatum judicia :
causa eadam , audiam Theologorum imperi-
tissimus , si vel unum contrà me sententiam
ferentem protuleris . Tunc igitur solus sub
Prioris ementito nomine , stupidissime An-
ti-Monache , rationis lumen in omnibus offus-
catum adeò , aut etiam extinctum arbitraris

ut

ut etiam in evidentibus cæcutiant? Peccati mortalis turpitudinem, odium, quo illud Deus prosequitur, non comprehendere me ultrò agnosco: tune illud comprehendis acute Theologe? Autumo ego illud comprehendere neminem, nisi qui Deum ipsum comprehendit. Neque tibi refragarer, si aliud non assereres, quam malle Christum humi jacere, & à prætereunte infcio, irreverentiâ merè materiali & inculpatâ proteri, quam à reo peccati mortalis sciente, & volente in malitia preseverare, sacrilegè introsumi. Verùm si oderit Deus peccatum communicantis merè extrà statum gratiæ, magis detestatur Judæorum, aut aliorum sceleratissimorum sacras hostias modis indignissimis tractantium Sacrilegam immanitatem. Age Theologe, quandoquidem peccati mortalis, & communionis sine dispositione debitâ malitiā, tam profundè investigaris, geminos tibi propono coram Magistratu reos convictos, & confitentes: alterum, quod in peccato communicaverit E. G. deprehensus est, post fornicationem natus copiam confessarii, sine confessione communicasse, quadam tamen pietatis simulatione; alterum verò S. Hostia abusum ad fortilegia, vel pugionibus eam confodisse, aliquisque excepisse modis maximè abominandis.

dis. Estne toto orbe Judex Christianus , sive
secularis , sive Ecclesiasticus , estne ullus Ju-
dicum consiliarius , qui superiorem illum merè
sine dispositione debita communicantem , gra-
viori , aut saltem æquè gravi supplicio dignum
censuerit , quā in posteriore , ad cuius Sacrile-
gium horrent omnium animi ? Sed quid exem-
plo opus , aut alia probatione ad conficiendam
rem per se tam evidentem ? Multò etiam evi-
denter veritas est in casu à Theologis con-
troverso , quando ad avertendam à Sacramen-
to gravissimam injuriam , illud quis fumeret ,
quantā quidem in his circumstantiis posset
exteriori , interiorique reverentiā , in statu
tamen peccati mortalis , quod propter animi
perturbationem , in his temporis angustiis
deficiente , ex hypothesi , gratiā verè suffi-
ciente ad contritionem quis assurgere non
valeret , rursus quæro , atque utinam in totius
Christiani orbis judicio interrogare lieceret !
An hæc demissa , & modo descripto reverens
susceptio sit irreverentia major , quam eorum
qui Sacramentum tam horrendo facinore elu-
dunt , conspuunt , transfodiunt , atque omni
excogitabili dedecore conspurcant ? Non satis
scilicet assequor peccati mortalis fœditatem ,
odium quo illud Deus prosecuitur . Christus
inquis , per communionem in corpus dimit-
titur

titūr Dæmoni subjectum. An non aliás à Demoni mancipio longè viliori , & inimico Christi formalī , & infestissimo proteritur ? Utrum Christo putas è duobus malis prætingendum ? Utrum magis detestabile ? Imò verò nullam ab istiusmodi communicante irreverentiam in Christum novam committi, sed reverentia Sacramenti reverà consuli, videtur manifestissimum, hypothesi positâ, quam Thesis tam explicitè statuit, ut à statu absoluto , & verâ casûs existenti præscinderet.

Hinc alterum, quod à me præteritum jas̄tas argumentum, evertitur. Ajebat Cliens tuus, Thesis aperire viam *criminibus innumeris*, & Sacra menta, quæ hominum saluti remedia instituta sunt, sic redi suscipientibus multis exitia. Egone argumentum hoc intactum reliqui, ego hoc subterfugiendum putavi, & silentio meo agnovi insuperabile ? En tibi impostor turpissime, quod ad hoc respondi, postquam ex particula *nisi quando non permitteret*, probavi pag. 24. & 25. Thesis esse merè hypotheticam, & præscindere an istiusmodi casus necessitatis dari possit, nec ne, imò dari non posse in Autoris illius, & communibus ejus scholæ principiis demonstravi : pag. 27. sic Adversarium urgeo, sic arctissimè constringo : *Supereft ut criminator fidem suam libe-*

liberet , & ex Thesi quæ de casu agit variissimo
 summa necessitatis sacramentum sumendi , conjunctæ
 cum impotentia comparandi dispositionem pro gratia
 habituali accipiendo requisitam , ex casu , inquam ,
 variissimo , & merè hypotheticō deducat crima in-
 finita , quæ religionem omnē pessimādant , &
 Christianam pietatem . Tum juxta Præsidis illius
 principia addo , meritò negari posse non tan-
 tum existentiam ex his actualem , sed etiam
 possibilitatem propter gratiam ex Concilii
 Senonensis doctrinâ semper vel datam , vel
 saltem oblatam , præsertim urgente præce-
 pto , & summâ necessitate . Quâ fronte
 etiam me pudendi & manifesti mendacii reum
 esse criminaris , cum dixi pag . 23 . Propositio-
 nem quæ , ut patet , hypothetica est , absolutam
 fecit criminator . aliter , inquis , Thesim non retu-
 lit , quam referat ipse Oropega . Quid homine
 stupido faciam ? Quid Theologo , qui ne pri-
 mas quidem novit Dialecticæ regulas ? An
 nescis Propositionem , etiam manentibus iisdem
 vocibus , toties mutari , quoties seu termini
 alicujus , seu copulae variatur acceptio ? Atqui
 evidens est infamem Archiepiscopi calumnia-
 torem accepisse propositionis copulanum cum
 statu , quæ juxta Thesum Autorem absolvitur
 à tempore . Stultissime enim alioquin ex
 illa Adversarius eliciisset infinita crima pro
 statu

statu absoluto. Cur non hic aliqua rationis specie ostendere conaris , vel Thesim esse absolutam , vel non esse absolutam Clientis tui interpretationem? De utroque desperans , effugium aliud , seu novum protrita caluniae firmamentum comminisceris. Propositio Archiepiscopi , inquis , sit quantumlibet hypothetica , idonee minus falsa est , minus scandalosa , aut minus vata parere animarum perniciem? Licitum sit singulari certamine congredi , si provocatus fueris , licitum sit occidere Christianum fratrem si alapam tibi impigerit ; licitum sit calumniani proximum si famae tuae detraxerit ; licitum sit abnegare Christum , si tormentis adigaris , enuntiationes omnes hypothetice sunt , nec tamen minus à veritate alienæ , non minus Divinis legibus contrariae. Quid igitur ad vindicandam Illustrissimi Thesim juvat , eam praedicare ut hypotheticam? Stultus , si tacuerit , sapiens reputabitur , ut nos docent divina oracula. At si in multiloquio passim non desit peccatum , ut eodem Spiritu Sancto docente didicimus , quid expectandum à multiloquio publicè damnati calumniatoris , odio in Illustrissimum Archepiscopum furentis , & execrati? Quid sibi vult hæc exemplorum congeries? Quid facit ad stabiliendam criminationem? An non vides argumentum te formare à non distributo ad distributum? Conditio-

ditionalis particula in exemplis aliquibus non aufert propositionis malitiam , & natam inde oriri perniciem , ergo neque in casu Thesios . Ut legitimè concluderes sic argumentandum fuit : conditio adjuncta numquam aufert malitiam à propositione absoluta , sive ubi- cumque propositio absoluta est falsa , & per- niciosa etiam propositio conditionalis est fal- sa , & perniciosa , qualiscumque demum con- ditio adjiciatur . Ergo neque huc conditio apposita falsitatem propositionis tollit , aut perniciem . Sed negato antecedente quod non tantum falsissimum est , sed hereticis con- sectariis plenum , corruit conclusio . Vifne antecedens , exemplis innumeris manifestæ fal- sitatis , imò dementiæ convincam ? Falsa & heretica est hæc absoluta enuntiatio , manda- ta Dei transgrediens neque culpæ , neque pœnæ obnoxius est . Sequiturne etiam hereticam esse hanc , Si mandata Dei essent observati impossibilia , neque culpæ , neque pœnæ obnoxius esset illa transgrediens ? Sup- pose falsam esse hanc absolutam quæ inter Doctorcs controvertitur : re ipsa aliquando propter ignorantiam excusamur à peccato formalí agentes contra jus naturæ , ideone diceretur etiam falsam esse istam ? Si daretur ignorantia invincibilis in jure naturæ excusaret à

E pec-

peccato formalī? Quæ propositio manifestè
 definita est ab Alex. VIII in condemnatio-
 ne propositionis hujus 2. inter 31. tametsi de-
 tur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in sta-
 tu nature lapsæ operantem ex ipsa, non excusat à
 peccato formalī. Ex falsitate hujus absolutæ,
 licitum est comedere carnes in Quadragesima,
 quomodò conficies hanc esse falsam? Licitum
 foret omni homini vesci carnibus in Quadragesima,
 si nec Deus, nec Ecclesia vetuisset; exemplis
 moralibus addo Theoricum unum, plura
 suppeditaturus, ubicumque desideraveris. Pro-
 positio falsa & hæretica est, spiritus Sanctus
 non distinguitur à filio: & tamen communissi-
 ma Thomistarum, aliorumque reverè pro-
 babilis adversus scotistas est ista hypothetica:
 si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, ab
 illo non distingueretur. Ut autem te saltem
 prima ratiocinandi elementa edoceam. Distin-
 guere solent tum Philosophi, tum Theologi
 consequens à consequentia, sive veritatem
 enuntiationis, à legitima ejus ex præmissis
 deductione: præterea aliud ex altero sequitur
 ratione formæ, aliud tantum ratione materiæ.
 in exemplis, igitur quæ adfers, notare debue-
 ras. si non fuisses tam in Philosophia, quam
 in Theologia tiro imperitus, consequens ve-
 rum esse ratione materiæ, non autem conse-
 quen-

quentiam ratione formæ, cum in eadem forma dentur innumeræ antecedentia vera, falsis consequentibus. Patebit in ipsis duobus primis exemplis quæ attulisti. Si modò aliam conditionem Priorum loco substitueris. Sic argumentaris: falsa est hæc propositio absoluta: Licitum est congregandi singulari certamine: ergo etiam à veritate aliena est hæc hypothetica, licitum est singulare certamen si fueris provocatus. Item falsa est hæc absolute: licitum est occidere Christianum fratrem, ergo & hæc conditionata licitum, est eum occidere si alapam impegerit. Loco allatarum à te conditionum has substitue: si legitima potestas ut est Divina tibi permiserit, vel imperaverit ut Abrahamo innocentis filii mortem imperavit, vel si alter ferro te violentus invadat, neque eum aliter avertere possis, vitamque tuam conservare, quamvis posteriore conditione positâ, non sit futurum propriè certamen ex condicione. Licitum tibi erit alapam impingere, licitum occidere etiam fratrem. Denique quædam conditiones sunt quæ ab objecto, quod afficiunt, nullo modo auferunt, neque minuunt perversitatem, quædam minuunt, quædam auferunt penitus. An non ex posterioribus sit conditio, quam Thesis includit, judicet æquus arbiter; negas esse, non probas illius momenti

ratione, neque argumenta à me criminationi
 vestræ opposita ulla tenetis labefactas aut concu-
 rits. Et tamen Calumniatoris infamis Defen-
 sor stupidissime exprobrare non dubitas
 quod videar mihi in oppugnando, quam defenden-
 do fortior ideoque respondens Autori Libelli LES
 SENTIMENS, objiciam ei casus quosdam particu-
 lares. Cur non exhibes argumentum illud cui
 non responderim? cur me isto non urges?
 Ego verò assero neque in præsentis quaestio-
 nis criminatione, neque in ceterarum om-
 nium vel apicem argumenti, aut difficulta-
 tis objectum, quod dissimulaverim, & non
 luculenta responsonie longè ultrà tam futilis
 criminationis merita confutarim. Oculos Le-
 toris cuiuscumque appello etiam tuos, si
 hos tibi non eruerit pertinacia. Age scrutare
 Libelli vestri famosi angulos omnes, & quid
 ultrà desideres expone. Ego tibi non tantum
 locos Confutationis perspicuos, & palpabi-
 les demonstrabo, ubi responsi datum satis
 est, & abundè, verùm responsonem ulte-
 riorem, quamvis minimè necessariam, libe-
 ralem tamen polliceor. Quod autem ais, me
 responsum subterfugientem objecisse casus
 particularcs, nescio quid sibi velit, aut quo-
 modò mentis compos id potueris comminifi-
 ci. Scripsérat Cliens tuus pag. 9. qualiscum-
 que supponatur necessitas, nunquam posse

hominem à sacrilegio excusari accedentem ad Sacramentum sine dispositione ad gratiam habitualem accipiendam requisita: si illi casus particulares ostendo in quibus talis necessitas excusat, an non respondeo ad argumentum cuius probo contradictionum? aut forte vobis ut Theologia, ita & Dialectica nova est, in qua aliqui casus, & nullus casus, non important contradictionem. Neque propositum mihi est, veritatem Thesios propugnare, sed amoliri ab ea calumnias, redarguere inepta, quæ ad invidiam Illustrissimo conflandam, deducitis conjectaria: ac denique ostendere nulli Theologicæ censuræ obnoxiam esse Thesios propositionem, quam Sedes Apostolica non prescripsit. Fateor equidem non sequi: in casibus quibusdam particularibus nihil continetur scandalosi, nihil perniciosi, ergo Thesis universalis nihil ejusmodi comprehendit. Verum non ita augmentor. Accipe igitur ratiocinium, quod instituo. Primò: iis particulis restringentibus limitata est Thesis, ut reverè in nullis circumstantiis quæ aliquando existunt in rerum natura, afferat quemquam Sacramentum, sine dispositione ad gratiam habitualem obtinendam sufficiente, suscipientem excusari, sed tantum in casu speculativo, & conditionato, cuius conditio

numquam extitura est , neque in præsentis
 Decretorum ordine potest existere. An non
 inde legitimè infero , ergo non nisi per fal-
 sitatem , & imposturam quodammodo infi-
 nitam vociferaris , quod in hoc statu *infinita*
crimina ex assertione profluant , Sacra menta ,
 quæ deberent esse vasa gratiæ , & salutis ,
 fiant pluribus lethifera? Sic explicatâ Thesi
 juxta mentem Authoris , & principia totius
 ejus Scholæ , quæro quid adversarius in sua ,
 suorumque sententia de casibus quibusdam
 particularibus dicturus sit , quamvis ut vides ad
 vindicandam Thesim , priori argumento , imò
 nudâ verborum , quibus concepta est expositio-
 ne satis tutam , minimè id fuerit necessarium ,
 sed ad sententiam vestram circa ejusmodi ca-
 sus explorandam , & si Thesi contradiceret
 rationibus utrimque discutiendam. Præterea
 gratis concessio , quod Thesum Author ,
 quamvis id ex verbis ejus non conficiatur ,
 existimatasset casum aliquando , sed rarissime
 contingere , patet ne inde quidem sequi
infinitorum criminum excusationem. Denique
 quando evinco in casibus aliquibus nullum
 esse crimen , pariter id evici pro casibus omni-
 bus , in quibus eadem , par , vel major ra-
 tio occurreret. Accusatoris autem erat , ca-
 sus saltem aliquos designare , in quibus The-
 sis

sis immerito quemquam à peccato liberaret.
Quid n̄ tu Calumniatoris Defensor casum
unum evidenter exhibuisti?

Lepidum est quod aduers de peccato Philosophico. Ultimum perfugium, inquis, Oropēga est suppositæ conditionis, & casus impossibilitas. Quodque hoc pacto nihil laxitatis ex Thesi, nihil mali in actiones promanet. Verum id impedi-
re non potuit, quo minus heresis de peccato Philosophico à Sede Apostolica scriretur. Certum est,
quod vel statum quæstionis de peccato Philo-
sophico nondum intelligas, vel iterum
imponas turpiter. Quæro, in quo consiste-
bat Thesios Divionensis justissimæ proscrip-
tæ error, & temeritas? nonne in eo, quod
ad rationem formalis peccati contra Deum,
ad incurrendum ignis æterni reatum, re-
quireret actualem de Deo cogitationem?
omnem quoque Dei ignorantiam sive vinci-
bilis illa sit, sive invincibilis, statueret ab
eiusmodi reatu excusantem? Quæ proposi-
tio procul dubio scandalosissima est, quam-
vis hoc sensu eam Autor intelligi noluerit,
sed illi sensu aperte contradixerit in dictatis
publicis, antequam ea Thesis ab ullo accu-
fata sit, aut typis vulgata. Verum pecca-
tum in Thesi descriptum, & à Professore,
illo vocatum Philosophicum, non magis

Phi-

Philosophicum est , quām brutum sit homo .
 Per Philosophicum peccatum omnes Thomistæ , Molinistæ passim , & ceteri Scholastici intelligunt , peccatum contra rationem commissum ab eo , qui Deum ignoraret invincibiliter . Hoc si daretur , non mereretur pœnam ignis æternam juxta sententiam in Scholis , etiam Thomisticis , & quidem post Decretum Alexandri VIII communissimam ..
 Tunc hanc anathemate prostratam crimina-
 ris? quo Decreto? tabulas exhibe , sed quas
 nusquam reperire est . Sic imperiti non pauci , vel malevoli , criminazione confusâ bucinant , peccatum Philosophicum Romæ condemnatum esse , quasi receptissima tot illustrium Theologorum sententia Vaticano fulmine afflata sit , à quo magis intacta est , quam adversariorum . Si enim juxta Alexandrum VIII invincibilis ignorantia malitiæ excusat à peccato formalí , ignorantia invincibilis malitiæ infinitæ , personæ infinitæ , sive Dei offendit , videtur excusare à malitia infinita , ratione cuius infligitur pœna aliquo modo infinita .

Paragraphum concludis asserendo 1. *Causum Thesios* , à cuius possibilitate ipsa præscindit , quemque ego juxta Autoris illius principia ostendo contingere non posse , tantum nimis esse possibilem , 2. forte acci-

accidere nimis sàpè. 3. Indicando Illustrissimum Archi-Episcopum non mereri laudes quas ipsi tribuo, 4. arguendo me calumniarum, quas jactarim in Theologos maximè orthodoxos. Verum assertiones nudæ, quibus ne verbum quidem probationis annexatur, responsonem non merentur, sed contemptum. Cur præcipuum accusationis caput non attigisti, qua Clientem tuum postulavi de perfidia, *cum summam necessitatem*, ut habet propositio Thesios, *veritatem, alicuius momenti necessitatem, quelque grande nécessité?* sed nihil videbas, quo tantam turpitudinem obvelares. Sic nempe facile apud imperitos, & linguae Latinæ ignaros in invidiam vocabitur Thesis innocentissima, & consecrariis onerabitur non ferendis. Licitum est aliena surripere in summa, seu extrema necessitate, ut omnes fatentur; si autem summa, seu extrema necessitas vertatur, *quelque grande nécessité*, confundetur cum propositione 36 inter 65 damnatas ab Innocentio XI permisum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. An hanc etiam fidem pessimam zelofo Archi-Episcopi Adversario dictavit charitas prædominans, Ethica severior, Ecclesiæ reformatæ studium, & omnis restrictionis realis etiam in Confessario de pœ-

tcn-

nitentium peccatis interrogato odium implacabile? nefas sit dubitare.

CAPUT QUINTUM.

Expenditur Paragraphus quartus de administratione Sacramenti indignis facienda.

Confutationis pag. 34 infamem Clientem tuum conviceram de perfidia prorsus simili , ei quam sub finem superioris capit is indicavi. Sic enim propositionem hanc excusare administrationem indignis faciendam protest . . . metus mortis , damni , infamiae GRAVISSIMÆ : Vertit Gallicè : Il n'y a point de peché de donner les Sacremens à une personne qu'on en sait être indigne , lorsqu'on est menacé , si on ne les lui donne , on souffrira QUELQUE TORT CONSIDERABLE en ses biens , ou en son honneur , où qu'on attentera à sa vie : quasi idem sit gravissimum , & alicujus momenti , quelque tort considerable. Cur non aliquid commentus es quo Clientem hic defenderes ? fraus erat à me demonstrata nimis perspicuè. Ideò nec eandem exhibere ausus es , nec excusandam suscipere. Aliam Clientis tui fallaciam

neglexeram in Confutatione , quis enim singula redarguat in refutatio opusculo , quod aliter expurgari non poterat , quam incendio ; cuius nulla pœnè vox fucum non redolet , aut calumniam ? quapropter fraudem eandem utpotè nondum detectam , iterum adhibendam putasli . Propositionem codem modo mutilatam refers , punctis tantum aliquot notatis , tanquam si ea quæ subtilentur , ad assertionem resstringendam non pertineant . Pertinet autem maximè illud *pro sacramentis ad quæ quisque jus habet* , ut non de quolibet Sacramento assertionem intelligas ; cùm ad Ordinis Sacmentum conferendum , Atheo , Mago , aut aliis ejusmodi indignis nulla ratio videatur sufficere , propter gravissima incommoda ex talium ordinatione oritura . Neque , si infidelis , sive non baptizatus aliud Sacmentum postulat , ei concedendum Thesis asserit , aut permittit , quidquid tibi infamia , damni , aut alterius injuria intentaverit , cùm Baptismus sit janua Sacmentorum , & sine illo nullum jus sit ad Sacmenta cetera . Cur hic non quereris , quod Clientis argumenta subterfugerim ? vides nullis ab eo calumniam stabilitam , quapropter , cùm eam nimis facile à me obtritam perspiceres , suppetias ei fer-

ferre statuisti , collectis undique copiis , sed
 quæ plus pompæ , & inanis apparatus affer-
 rent , quām præsidii . Tam invidiosè adver-
 sūs Thesim Cliens tuus declinaverat , tam
 parum criminacionem suam limitaverat , ut
 nullum prorsùs casum agnosceret , certè nul-
 lum indicaret , quo liceret Sacramentum ul-
 lum conferre indignis . Protuli casis non
 paucos in quibus licere probavi ex praxi Ec-
 clesiæ usitatissimâ , Episcopis & Romanis
 Pontificib⁹ non tantum spectantibus , nec
 contradicentibus , sed positivè consentien-
 tibus . Confirmavi irrefragabili autoritate ss.
 Augustini , & Bonaventuræ . Denique ip-
 sius Christi exemplo evici . Hæc omnia cum
 nimis essent manifesta , quām ut auderes in-
 ficiari : recte , inquis , hæc probant , quandoque
 nos posse Sacraenta indignis ministrare , ubi vi-
 delicet administratio illa cedit in ipsius Sacra-
 menti , Fidei , & Religionis emolumentum ; sed nul-
 libi viri sancti docuerunt in Ecclesia id licitum ex
 propria utilitatis , vel proprii damni ratione . Cur
 non solvis argumentum quod in CONFUTA-
 TIONE proposui , ubi sic ratiocinabar ? li-
 cet Ministro Eucharistiaæ , ejus participem
 reddere peccatorem occultum publicè pe-
 tentem , ne crimen occultum propaletur ,
 & proximus qui possidicet famæ occulto
 cri-

crimine non amisit , cù per publicam Sacramenti subtractionem deturbetur. Atqui occulto peccatori non est plus juris ad famam suam , quām Ministro innocentis; Ergo si occulto peccatori publicè pententi non sit deneganda communio ne tam gravem infamiam subire cogatur , quare non licet Ministro innocentis , si alioquin gravissima infamia vel aliud damnum gravissimum tibi foret subeundum , Eucharistiam indigno pententi porrigere ?

An primæ enuntiationis ratio tibi displiceret , quia juxta te tantum licet in ipsius Sacramenti , Fidei , & Religionis emolumentum , non verò ad evitandum damnum proprium quantumvis grave , & consequenter neque ad evitandum gravissimum in proximo ? Consule Theologos sapientissimos pariter , ac piissimos , si Neotericos averseris , consule Angelicum Doctorem , cuius dogmata meritò tutissima à Christi Vicario declarata sunt , & inconcussa , ità te docebit 3 parte , q. 81. a. 2. quia Christus nobis debuit esse exemplum justitiae , non conveniebat ejus Magisterio , ut Fundam occultum peccatorem sine accusatore , & evidenti probatione ab aliorum Communione separaret , ne per hoc daretur exemplum Prælatis Ecclesiæ , similia faciendi , Ecce primam , & præcipuam

rationem; ne occultus peccator non accusatus publicè, non infamis, privetur jure suo, quod habet tum ad Communionem si baptizatus sit, tum ad famam. Eodem art. ad 2. ideo Christus Iudam non repulit à Communione, ut daret exemplum, tales peccatores occultos non esse ab aliis sacerdotibus expellendos. Imò verò idem Ecclesiæ Doctor eadem parte q. 80. art. 6. ait graviter peccare Sacerdotem, qui peccatori occulto publicè presenti Sacramentum Eucharistiae denegat, quia famam ejus graviter laedit. Sic enim sibi, scilicet ut nobis adversarius, objicit ad 2: de duabus malis minus. malum est eligendum. Sed minus malum esse videtur, si peccator infametur videtur ergo hoc potius esse eligendum quod infametur peccator petens. Corpus Christi. Tum respondet dicendum quod licet peccus sit peccatori occulto peccare mortaliter, sumendo Corpus Christi, quam infamari: tamen Sacerdoti ministranti Corpus Christi peccus est peccare mortaliter infamando injustè peccatorem occultum, quam quod ille mortaliter peccet. Si Fratres tui Anti-monachi tantum temporis impenderent Lectioni Aquinatis, quam infamium quorundam Libellorum, viderent non esse Communione publicè privandos peccatores occultos, multò minus infamandos innocentes

qui

qui vel Religiosis mendicantibus confessi sunt,
vel nullius gravioris noxae sibi consci. Dif-
ceret Rigorista , nuper hic in vicinia Pa-
stor , Festo Paschatis non pertransire om-
nes, negando eis publicè Communionem, qui
negatam à se absolutionem , à Regularibus
accepterant ipso die , quo Eucharistiam postu-
labant. Nondum elapsi sunt dies quatuor
cum mihi quidam Regularis Confessarius vir
inter suos præcipuis perfunctis munis , &
etiamnum in præcipua Brabantia Civitate
Superior : Triennium est , inquit , cum Fe-
sto Paschatis multò manè ad domus nostræ
januam confluunt rustici ex Pago N , po-
stulantes Confessarium , ut expiatis tempe-
stivè animis , interesse possent sacro Pastoris
sui , & ab eo admitti ad sacrum Epulum.
Verùm in ipso scanno Communionis præ-
teriti sunt , nec præteriti tantùm , sed , si Con-
fessario suo vera retulerint postridie , pro-
testantes publicè se confessos fuisse apud Re-
ligiosos NN. aliud non retulere à Pastore sa-
cram Hostiam manu tenente , quem absolu-
tionem invalidam esse & exitialem. Quin &
propter defectus minimos non nunquam qui-
busdam sancti-Monialibus Eucharistiam à quo-
dam Lovaniensi Directore negatam fuisse pu-
blicè mihi perspectum est. Hæc quam sint ab

omni Jure, à communissima Ecclesiæ praxi,
 & Christi institutione aliena, norunt omnes
 præter Gallos quosdam, & Belgas Novato-
 res. Verum zelosos nostros non moratur
 Christi institutio, non praxis Ecclesiæ, non
 communis choloisticorum consensus, modò
 futilis aliquid ratiunculæ, aut obscura Patris
 cuiusdam locutio in speciem opposita occur-
 rerit. Frustrà igitur eos remitto ad Aquina-
 tem frustrà eos remisero ad Alensem, Do-
 cetorem alioquin Theologorum omnium judi-
 ciorum IRREFRAGABILEM : frustrà ad quorum-
 vis nobilissimorum Scholasticorum volumina.
 Tu vero Lector si veritatem potius amas, quam
 novitatem, adi Tractatus passim obvios de Sa-
 cramentis : ubique ferè conferendi occul-
 tis peccatoribus Sacramenti rationem inve-
 nies infamiam, quâ alioquin publicè peten-
 tes afficerentur. Atque hæc disparitatis ratio
 est, quæ ab omnibus profertur, cur pecca-
 tori occulto, occultè petenti, Communio
 neganda sit, non autem petenti publicè ;
 quod ex Sacramenti negatione gravissimam
 famæ jacturam non patiatur peccator in prio-
 ri casu, quam pateretur in posteriori. An, ut
 suprà rursùs quærebam, Minister innocens
 non æquè jus habeat ad famam quam pec-
 cator Sacramentum sibi postulans? Adeoque

an

ari Minister , quemadmodum Eucharistiae Sacramentum peccatori occulto publicè pententi administrare potest , inò tenetur , ne peccator gravissimum patiatur famæ de- trimentum , similiter non possit ipse Sacra- mentum peccatori administrare ad vitandam famæ suæ jacturam pariter gravissimam ? An Mulier Medico Catholico destituta , non posset nubere Medico heterodoxo , qui eam præsenti mortis periculo eripere detrectaret & nisi sibi miberet ? an inquam in his , & simili- bus casibus Sacramentum conferri non possit indigno , statuant pri omnes & sapien- tes nullo ducti partium studio . Nescio an ullum adversarius reperturus sit , qui senten- tiā affirmantem atroci censurā dignam ju- dicaverit . Et ne recurras ad bonum Religio- nis aut ipsius Sacramenti , suppono spem pro- lis abesse , quam in fide posset educare , sup- ponō nullam esse spem moralem conver- tendi Maritum , uti nec perversionis peri- culum in muliere : Cooperatio ad peccatum censembitur mere materialis , quæ in omnium Catholicorum sententiā licita est , ubi iusta sic cooperandi causa occurrit , ut in Dco , pec- catis omnibus materialiter cooperante , est manifestum .

Subtilissimam quæstionem comminiscitur

F 3

Ad-

Adversarius, responsionis à me audiendæ per quām avidus, licetne, inquit, Sacerdoti S. Hostiam in cloacam projicerē, Judæo V. G. imperante, & certum exitium minitante ni pareat? si negavero, instat; atqui omni cloacâ fœdior est anima peccatoris: ergo neque ad evitandam mortem lictum est Sacramentum conferre peccatori non dispositum.

Respondeo nihilominimū ad casum negativè. Neque tamen sequitur conclusio. Dispar enim utrobique estratio. In casu objectio imperatur projectio hostiæ in contemptum Religionis, in odium fidei, & ipsius Christi, non in casu Thesios; hunc, non illum permisso videtur Christus Sacramentum conferens Judæ, ne eum infamaret, ut omnes paſſim Theologi, & Interpretes factum Christi accipiunt, cuius reddunt rationem plerique ut præcipuam; quod Christus noluerit occultum Judæ crimen prodere. Si Christus hic Ministros suos exemplo non præcessisset, si potius famæ proximi, quām reverentiæ Sacramentalis in ejusmodi casu habendum rationem non docuisset, non defuisserint viri etiam pii, & sapientes qui proximum potius infamandum, quām Christum indigno conferendum duxissent. Nunc verò post documentum Christi tam perspicuum, nuli,

li, prater Novatores, & fidei aliunde non satis probatæ Theologos (animarum Pastores dicam an Lupos?) dubitant, quin qualisunque hæc Sacramenti irreverentia Ministro potius permittenda sit, etiam materialiter cooperando, quām fama proximi lædenda tam graviter. Cur, ut səpius idem repetendo inculcem, sic Ministro argumentari non licet? Maluit Christus peccatori occulto, corpus suum & sanguinem conferre, quām gravissimā eum infamiā notare, atque ita Ecclesiæ Pastores, ita Sacmentorum Administros instituit; Cur igitur mihi nefas sit idem Sacmentum conferre indigno ubi alioquin gravissimā, & citra omnem meam culpam, infamiā forem aspergendus?

Ut rectè Adversarii s concluderet, casū objecti cum casu Thesios paritas probanda fuit. Difficultatis aliquid, uti & paritatis, haberet argumentatio, si supponeret Sacmentum postulari in formalem Fidei, & Religionis contemptum, vel postulari non ad sumendum, sed proculcandum, confodiendum, aliisque modis excipiendum indignioribus.

Quis dubitat quin Idolothytis vesci modo liceat urgente præsertim gravissimā famis necessitate? Non licere tamen ex imperio Ty-

ran-

ranni in odium fidei esum illum præcipientis, sed mortem potius Christiano subeundam omnes agnoscunt. Hinc facilem Adversarius responsionem videt ad illud, quod urget de traditione sacrorum Codicum. Huius enim in odium & contemptum fidei postulabantur. Pecuniam pauperum Ministri Ecclesiæ Tyrannis prodere nolebant, etiam mortis intentato supplicio, quia fidem suam arctissimè obstrinxerant, & gravissimum Ecclesia ex ejusmodi traditione passa fuisset detrimen-tum; neque Ecclesia, neque pauperes in com-muni, qui ad pecuniam illam ius acquisive-rant, cedebant juri suo, ut cedit Christus, qui alioquin procul dubio exigere à nobis posset ut quæcumque seu propria, seu pro-ximi infamia, quamvis gravissima, contem-neretur potius, quam Sacramentum con-ferretur non disposito.

Autor combusti operis pag. 10 hæc po-suerat: Non ea modo sunt tempora, quibus curratur ad Martyrium; quibus facultatum, honoris, & vitæ dispendium contemnatur præ Dei gloria, & debitâ mysteriorum sanctitati reverentia. A Cal-vinistis & Lutheranis veteris Ecclesiæ dis-ci-plinam ac puritatem, præsentis vero corrup-tissimos mores, & Religionem penitus col-lapsam perpetuò ingeminantibus mutuata
hæc

hac mihi videbatur querimonia : unde in Confutatione pag: 35 hac eum dignum censueram increpatione: O ! impudentem Calumniatorem , non jam Archi-Episcopi , aut Societatis solius , sed Religiosorum omnium Ordinum ! quid ? an non successione continua , quam plurimi viri Apostolici , spe Martyrii , alienæ salutis studio , & divinae glorie propaganda zelo ardenter , in remotissimas orbis plagas , alacres excurrunt , easque postquam laboribus Apostolicis excolsruerunt , gloriose sanguine tandem irrigant , martyrii palmam , ut laboris præmium avide amplectentes ?

Respondet damnati Clientis Patronus non inficiari Libelli anonymi Autorem quod etiamnum reperiantur in Ecclesia viri Apostolici inter Clericos , & quosdam Religiosos , sed significare eum tantum , viros ejusmodi non esse in Societate , quæ præter opes , commoda , & dignitates nihil in Missionibus præsertim remotissimis ambiat : atque de hac orbi Christiano detecta Jesuitarum hypocrysi sati constare. Probationem si requiras , remittit ad partem 3 , 4 & 5 Libri , cui titulus *la Morale Pratique des Jesuites*. Quâ autoritate locutionem Authoris illimitatam , interpretaris restrictè spiritum Apostolicum Author negabat Ecclesiæ hujus temporis , tu soli Societati. Sed

Sed forsitan , quod facile mihi persuaseris , idem ipse est Cliens , & Patronus , Prior & Subditus , qui adustæ frontis infames notas , ementiti Prioris larvâ studiosè obvelare voluisti , & quia tantæ omnium Ordinum invidiæ ferendæ imparem te vides , ad solam Societatem calumniam restringis . Ubi verò ordinem hunc ad debellandas horum temporum hæreses Divinâ providentiâ institutum , Pontificiæ Autoritatis Defensorem acerrimum , Novitatibus infestum , atque adeò hæreticis , eorumque sequacibus inimicum prostraveris , ubi eum libellis vernaculo sermone editis apud imperitam plebem primùm , dein apud Sæculares & Ecclesiasticos Magistratus reddideris execrabilem , per ejus ruinam ad reliquos Religiosos cœtus evertendos , ad quatiendam Apostolicam Se- deim , ac tandem deposita larvâ , Ecclesiæ Catholicæ aperto Marte bellum inferendum , aditum mīnus difficilem meditaris .

Remittis igitur nos ad præximoralem Jesuitarum ab Authore larvato , & de pluribus jam pridem calumniis convicto descriptam . Sed cur Tenebrioni uni potius & implacabili Jesuitarum hosti , quam innumeris , non tantum Jesuitarum , sed & Sæcularium & aliorum Religiosorum relationibus fides habenda sit ?

non.

non adeò imperviæ Hispanis, Lusitanis, aliisque Catholicis indiæ sunt, non adeò ignorante Christianis Principibus, atque Romanis Pontificibus res Chinicæ, ut si ea essent in illis Regionibus Societatis flagitia, qualia ab Authore Moralis practicæ imponuitur, non tanto studio Religiosissimi Hispaniæ & Lusitaniarum Reges expeterent Societatis Missionarios, non tantis ipsi aliquique Principes Catholicæ sumptibus eos illuc deveharent, appulsos alerent, soverent, defenderent: non eos Apostolica Sedes, nequidquam frenuentibus & obstreperibus Adversariis, nequidquam criminante Autore Præcos, suâ protegeret autoritate, privilegiis cumularet. Accusatorum perfidiam non solus Autor *defensionis novorum Christianorum*, sed ante illum Illustrissimus Malacensium ex Religiosa sancti Dominici Familiâ Episcopus in sua verè Catholica ad Innocentium XI Querimonia detexit, testis ipse oculatus rerum à PP. Societatis in Missionibus gestarum, & laudum irrefragabils Prædicator, quem Adversarii scœvissimum Accusatorem solitâ suâ fallendi & calumniandi arte confinxerant.

Quantum strepitûs ubique excitavit, quantum conflavit invidiæ Missionariis Societatis hæc ab Autore Theatri Jesuitici, & Moralis

pra-

practicæ latè propagata calumnia , priusquam
Illustrissimi illius Episcopi proSocietate Apo-
logia ad Innocentium XI Romanum Ponti-
ficem scripta , ac typis vulgata , autorem
Theatri Jesuitici , & Moralis practicæ coram
universo orbe de insigni mendaciorum , &
calumniarum serie apertissime convicit , de-
monstrans rerum ab illis assertarum non falsi-
tatem modò , sed etiam impossibilitatem.
Utinam tam Religiosum , pro veritate & in-
nocentia testimonium , omnium manibus te-
rereretur , ut nemo deinceps tam faciles Arnal-
do Moralis practicæ autori , hosti Jesuitarum
implacabili , & veteratori maledicentissimo
aures præbeat.

Recentior Moralista ejusdem , sive An-
tonii Arnaldi , quam libello , cui titulus ; *Qua-
trième plainte de Monsieur Arnauld Docteur de Sor-
bonne* , inseruerat , detecta calumnia est ,
& irrefragabilibus testimoniis demonstrata.
Accusabat Arnaldus Jesuitas , quod ausi fuis-
sent nescio quid minari Advocato Rothoma-
gensi coram pluribus testibus , ni caveret sibi
à promovendâ lite adversus Societatem cum
quâ nemo impunè contenderit. Addebat Ad-
vocatum minas illas coram frequenti Senatu
retulisse , relationem suam testimoniis com-
pluribus confirmasse ; postulasie protec-
tionem

nem Regiam atque à Senatu obtinuisse adver-
sus minas tam insolentes. Hęc Arnaldi toto
Belgio sparsa criminatio, Gallias quoque pe-
netrat, & in manus incidit Jesuitarum Rot-
hagensium. Legunt illi, nec mirari satis
possunt figmentum tam impudens, & solius
Arnaldi dignam ingenio calumniam. Adeunt
Advocatum, quem Arnaldus indicaverat, etiam
alterum convenienter ejusdem partis defenso-
rēm: uterque nihil unquam simile se audi-
uisse, sed falsissimam esse Arnaldi accusatio-
nem instrumento publico testatur. Denique
Senatus Rothagensis in formā legitimā li-
bello supplice rogatur à PP. Societatis ut ad
convincendum calumniatorem acta litis dis-
cutiantur, & quidquid illius occasione dictum
factumve annotatione dignum contigisset;
nullum usquam sive in scriptis sive in homi-
num memoria minarum reperitur vestigium.
Copiam authenticam actorum ad justam in-
nocentiae adversis Arnaldum defensionem
Senatus Regius per Graphiarium suum con-
scribi jussit & tradi Patribus Societatis die 16.
Februarii præsentis anni 1692. Mox typis
edita sunt testimonia quæ citavi, & in Bel-
gium delata, ut & Arnaldum infamiae sue
tandem pudeat, & quosdam alios nimis cre-
dulitatis. Hunc tu scilicet nobis testem ob-

G jicis

jicis tamquam omni exceptione majorē. Huic à nobis plus fidei haberi vis, quam totius Christiani orbis voci publicæ, integratam & zelum Societatis ubique terrarum prædicanti.

C A P U T S E X T U M .

Expenditur Paragraphus 5. de ab-solutionis simulatione.

INcensi opusculi Autor *anonymus* pro-positionem hanc ; licitum videtur ex metu mortis absque intentione absolvendi formam pronuntiare super pœnitente indisposito, damnata in esse in hac 29 inter 65 urgens metus gravis est cau-sa justa Sacramentorum administrationem simulan-landi , solitâ suâ confidentiâ affirmarat. Quid-
quid sit de prioris enuntiationis veritate vel falsitate, cuius discussionem instituta à me de-fensio non postulat, proscriptam esse nega-vi , & stolidam anonymi criminationem evi-denter redargui in Confutatione Cap. 5. Do-minus Prior non patitur hanc Clientis sui cladem : certamen instaurat septem implens paginas inanibus verbis , nulla ratiocinatio-ne nisi tam fatuâ ut nec Theologiæ nec Dialecticæ Tirocinium expleuisse videatur.

An-

Antequam argumentum clienti suo à me
oppositum aggrediatur, telum ipse ineluctabile
Thesi controversæ intorquet, commune om-
nium judicium, simulationem hanc ut San-
ctitati Sacramentorum maximè injuriam, ex
Scholâ iniquitatis, fraudum & mendaciorum
Seminariis potius, quàm Christi lycæo ema-
nantem. Ubi enim hìc veritas, ubi sinceritas
Christianæ?

Respondeo commune judicium à te alle-
gari, sed nullo probari testimonio, ac proin-
de tam facile ab Autore Thesios negandum
quàm à te sine ratione, sine autoritate af-
fertum. Quid enim si ipse omnium judicium
à se stare contenderit? Quid si non Sacra-
menti simulationem, sed dissimulationem ne-
gatæ absolutionis vocet, circumstantiâ mor-
tis intentatæ, significationem vobis ita de-
terminante. Nullâne etiam de causa licitum
est veritatem dissimulare? Quid igitur statues
de Sacerdotibus, & Religiosis in Missione
Hollandicâ statum Sacerdotalem & Religiosum
seculari veste occultantibus? Qua ratione ex-
cusabis zelosos tuos Augustini Discipulos, qui
plurimos ex Sacro Tribunal, tacitâ verbo-
rum quorumdam pronuntiatione, & cruce
impertitos dimittunt, ita ut miseri pœnitentes
nesciant, an siccant tantum crucem, an etiam

absolutionem retulerint ? ea profectò praxis
damnosissima est . & alics ad frequentem pec-
catorum corumdein repetitionem injustè &
crudeliter adigens , alias fortè non absolutos
exponens æternæ damnationis periculo.

Sinceritatis adeò à Novatoribus prædicatæ
specimina aliquot dedit R. P. Payen in nu-
pero suo ad Arnaldi querelam tertiam res-
ponso. Sinceritatem quoque Neo-Augusti-
nianam prodit Catalogus arcanorum nomi-
num , quibus , factiosi ad celanda iniquitatis
mysteria in suis litteris uti soliti sunt , Janse-
nii , Sancyrani , aliorumque illius temporis
Rigoristarum , candorem ubique & sinceri-
tatem profitentium exemplo.

Veniamus ad præcipuum quæstionis caput
an Thesis condemnata sit in propositione 29.
inter 65. Confixam non esse , probavi in Con-
futatione pag. 38 & 39 quia propositio dam-
nata permittit Sacramenti simulationem ex
metu qualicumque gravi , Thesis tantum ex
metu mortis , qui est gravissimus.

Prætero quod Thesis simulationem non
exprimat neque cuiuslibet Sacramenti E. G.
ordinis aut baptismi simulationem permittat
ex quorum indubie Sacramentorum simula-
tione plus incommodi in Ecclesiâ , major
animarum pernicies , quam ex simulatione

ab-

absolutionis oriretur. Finge enim Episcopum nescio quo metu compulsum alicui fictè consultisse ordinem Sacerdotii: omnia sic consecrati Sacrificia nullius momenti sunt, omnes absolutiones invalidæ. Gravior etiam & latissimè se diffundens pernicies manet, si hic in Episcopum assumatur, qui Sacerdotes innumeros profanâ consecratione, & nihil potestatis conferente initiabit. Eadem deduci possunt ex simulatione baptismi: sed hæc missa faciamus solo utar argumento quod in confutatione adhibui, & multo inanium verborum apparatu Adversarius suscipit convellenendum.

Hæc propositio, *urgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi*, cum sit indefinita & dogmatica, æquivalet huic iuniuersali: *Quilibet urgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.* Ex condemnatione autem universalis affirmativæ sequitur ejus falsitas, ut suppono; cavillari enim hic mihi non lubet cum Bajanis, qui propositiones aliquas proscriptas ut male sonantes, piarum aurium offensivas, &c. arbitrantur non redargui falsitatis. Verum sequitur ex falsitate universalis affirmativæ plusquam veritas contradictioniæ sive veritas propositionis negativæ

G 3 par-

particularis? Fateor itaque ex condemnatione propositionis 29 inter 65 rectè deduci veritatem hujus, Non omnis causa gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi. Ecquānam autem argumentandicatione hinc deduxeris, nullum metum quantumvis gravem, & gravissimum, esse causam justam ejusmodi simulationis? Argumentationis uæ inepiam ostendi exemplo gemino non absimili. Proscripta, inquit, est hæc propositio: permisum est aliena surripere in gravi necessitate: inferesne proscriptam esse hanc, permisum est aliena surripere in extremâ necessitate?

Alius à Pontifice prostratus articulus est, possum occidere furem pro conservatione cuiuscumque materiæ g. avis, ut est aureus. Sequiturne profligatam esse hanc, possum occidere furem pro conservatione meæ vitæ?

Utrumque hoc exemplum, quod ad rem conficiendam efficacissimum est, & evidens, à me in *Confutatione objectum*, refert adversarius, & solvendum suscipit. Geminum hunc & quidem tam validum arietem cum à Domino Priore non declinari animadverterem, sed adverso præter ejus morem, pectore excipi, laudabam hic saltem viri animos, avidus

dus videndi, quomodo vim impactam infringeret.

Dum solutionem quæro, alia non occurrit, quâm his verbis expressa: *Il ne faut pas être usé dans l'art de raisonner, mais seulement avoir un peu de bon sens, pour voir que ces raisonnemens sont tous differens de celui par où l'on a prouvé, que la proposition de Monseigneur est une de celles, que le Pape Innocent XI a condamnées.* Non oportet multum esse ratiocinandi peritum, sufficit quantumvis parum, sani judicii, ut quis videat argumentationes illas plurimum discrepare ab ea, quâ probavimus propositionem Illustrissimi esse inter eas, quas Innocentius XI condemnavit. Multum debes Magistris tuis Domine Prior, qui tam expeditam te, argumentum quodlibet dissolvendi rationem edocuere. Haud opus est molestâ ingenii vexatione, ut apta, & propria solutio excogitur: in promptu est gladius Alexandri Magni quo nodus quilibet Gordeus quantumque implexus disfletetur. Tantum ad objecta omnia respondendum est confidenter, Non oportet multum esse ratiocinandi peritum, sufficit sani judicii quantumvis parum, ut quis videat argumentum non urgere, non subsistere, patentem esse disparitatem, &c.

, Nihil (inquis) evidentiùs est, nihil ad

, pro-

„probandum validius, argumento ab universa-
 „li ad particulare: juxta Innocentium XI urgens
 „metus gravis non est causa justa Sacra-
 „torum administrationem simulandi. Atqui
 „metus mortis est metus urgens gravis; & super
 „poenitente indisposito pronuntiare formam
 „sine intentione absolvendi, est Sacramenti
 „administrationem simulare. Ergo juxta In-
 „nocentium XI metus mortis non est cau-
 „sa justa pronuntiandi super poenitente indis-
 „posito formam sine animo absolvendi."

Vidisti argumentum quo Syllogismum
 hunc elisi tam clare, ut vel enormiter stu-
 pidum tibi esse oporteat Synciput, si non
 capias, vel frontem admodum perficitam,
 si, quod in Confutatione protritum ani-
 madvertisti, tanquam invictum nobis hic
 rursus oggerere non te pudeat. Respondeo
 iterum distinguendo majorem: juxta Inno-
 centium XI nullus metus quantumvis gravis,
 & gravissimus, est causa justa Sacramen-
 torum administrationem simulandi, nego. A-
 liqua causa gravis non est justa, sive non
 omnis causa gravis est justa Sacramentorum
 administrationem simulandi, concedo ma-
 jorem. Transeat minor. Nulla est conse-
 quentia, ut patet; quia medium non di-
 stribuitur: ex uno particulari non recte in-
 fer-

fertur aliud particulare. Paucis : infertur in conclusione quod in antecedente non continetur.

Idem respondere omnes debent ad Syllogismum hunc , quem supra indicavi planè similem. Juxta Innocentium XI necessitas gravis non sufficit ut quis aliena bona surripiat. Atqui necessitas extrema est gravis. Ergo juxta Innocentium XI necessitas extrema ad bona aliena surripienda non sufficit. Similiter juxta Innocent. XI conservatio materiae gravis non est causa justa alterum occidendi atqui vita est materia gravis. Ergo conservatio vitæ juxta Innoc. XI non est causa justa , alterum occidendi. Suppono agi de injusto invasore. Uti igitur in utraque argumentatione posteriore , major distingueda est , sic ut aliqua necessitas gravis , aliqui's materiae gravis conservatio , non sufficiat : ex quo non nisi stulte deduci potest utraque conclusio medio non distributo , ita & in tua, Domine Prior , argumentatione eandem ob causam prorsus fatuâ , majorem distinxii , & concessâ minore , negavi meritò consequentiam.

Ad illud quod ait , teste Augustino , & Ambrosio , repugnare legi Divinæ talem vitæ defensionem quæ sit occisio injustè invadentis , paucos tibi consentientes invenies ,

atque

atque ipsos S. Augustini filios passim aliter Parentis sui verba accipientes cum Angelico Aquinate, fidelissimo Augustini interprete, tutissimorum & inconcussorum Dogmatum Autore. Verum, ut recte observas, quid sit de sententiâ communis afferente occisionem in casu esse licitam, certum est eam ab Ecclesiâ, aut Apostolica Sede nusquam esse explicitè, aut implicitè definitam.

Præteriri hic à me non potest palmaris calumnia, quâ Patrem Leonardum Lessium ait afferuisse quod privato licet occidere hominem propter furtum unius aurei. Nullam Lessii paginam citas, nullum caput, nullum Tractatum, vel librum, ne criminatio[n]is tuæ falsitas innoteſcat. Locus, ex quo Propositionis illius à Pseudo-Augustini Discipulis accusari solet Lessius, est l. 2. de jure & iustitia cap. 9. dub. 11. Ecce autem verba Lessii ibid. n. 68. *Est valde iniquum ut pro pomo, vel etiam uno aureo servando, alicui vita auferatur.* Potestne aliquis disertius propositioni damnæ contradicere? Non contradicit tantum afferendo, in casu esse illicitam occisionem, vel etiam injustam, sed cum emphasi, valde injustam.

His prætermisis involant adversarii in verba Lessii sequentia: *si tamen tibi verteretur*

p10-

probro , nisi rem furi extorqueas , posses conari ,
 & si opus esset etiam occidere juxta Sotum ; tunc
 enim non tam rei , quam honoris esset defensio .
 Idemne vobis est asserere si opus esset , oc-
 cidere posses juxta Sotum ; & absolutè asse-
 rere licitam tunc fore occisionem ? In priori
 indicatur merè quid Sotus sentiat . An referre
 sententiam alienam præsertim privati alicuius
 & Neoterici quem tibi nusquam Magistrum
 delegeris , est adstruere propriam ? Si tuum
 Domine Prior , sensum sic retulero : Licet
 omnem Jansenii Doctrinam tueri tanquam
 veram , & Catholicam juxta Dominum G.
 Pseudo-Priorem Sancti Martini , quia nihil
 tradit Jansenius quod S. Augustino non con-
 sentiat ; quis me propterea Jansenismum pro-
 fiteri contenderit , alienæ Doctrinæ exposi-
 tionem cum sententiis meis imperitissimè
 confundens ? Quamvis nec sententia Soti ea-
 dem prorsus sit , cum proscripta , ut liquet
 verba consideranti .

Propositionem Thesios non contineri in
 vigesima nona ab Innocentio XI proscripta
 demonstraveram in confutatione , uti & in
 præsentī capite , tam perspicuè , ut nemo
 mentis compos non videat criminatiois va-
 nitatem . Pergit nihilominus clementitus Prior
 oculos sibi ocludere , ne meridianam lu-

cem

cem percipiat , quin & licet ad argumenta
 à me proposita sibi objiciens ne verbum qui-
 dem in sua Sophisticâ cavillatoriâ reperiat ,
 quo solutionem tentet , vociferari tamen non
 desinit , Thesim clarissimè in propositione
 29 esse condemnatam. Et ne sibi soli fidem
 arrogare videatur , omnium hominum oculos
 appellat. Sic ut quis inter Jansenianos
 scriptoris acuti nomen obtineat , & Prioris
 dignitate tanquam eruditionis præmio done-
 tur , tantum debet quævis fortiter pro libitu ,
 & citrā probationem ullam asserere , jaçtare
 in densissimis tenebris claritatem , rationes op-
 positas aliter non solvere , quām afferendo
 esse falsas ; ubi quis assertionis insolentiam
 miratur , tantum altissimo tono , eruditorum ,
 & piorum omnium consensus appellandus est , nullius sententia proferenda.

Reprehendi Anonymi temeritatem quod
 non fuisset veritus dicere Doctrinam The-
 sios evidentius contineri in propositione 25
 condemnatâ , quām propositiones 5 repe-
 riantur in Jansenio. Ægrè habet D. Priorem
 hæc reprehensio : nec dubitat me multat
 multo gravius , velut ex tripode definiens
 eos , qui anathema nolunt dicere proposi-
 tionibus in sensu Jansenii , non posse hære-
 sios insimulari , *Nisi per furorem , aut potius ra-*
biem

biem Jesuiticam, quæ fundari non potest, nisi in
hæresi, quin & in idolatriâ, quæ submissionem
solis divinis oraculis debitam, exhiberi jubeat defi-
nitioni merè humanae, & naturali.

Ubi Innocentius XI Decretum edit adver-
sus 65 propositiones morales, Augustini disci-
puli cum suo nuper defuncto Episcopo Ca-
storiani exclaimant, Os DOMINI LOCUTUM
EST: ubi verò constitutionem maximè solen-
neim promulgant Romani Pontifices Urbanus
VIII. Innoc. X. Alexander VII. contra do-
ctrinam libri cui titulus *Augustinus Cornelii Jans-
senii, os hominum* inquiunt non Domini locutum
est. Ea est singularis scilicet à Deo Novi-
Augustini discipulis concessa prærogativa, ut
constitutiones Pontificias pro arbitrio suo
modò ad divinorum oraculorum dignitatem
evehant, modò inter humanas & merè natu-
rales definitiones ablegent.

Quid igitur statues, Domine Prior, de
Alexandro VII, qui hæreticas haberi jubet
propositiones eo sensu, quo in Janseniano
volumine propugnantur, & consequenter
hæreticos haberi, qui eundem sensum per-
vicaciter tueri perrexerint? Nec simplici fidei
hujus professione contentus est Alexander VII,
sed eam jurejurando vult confirmari. Quid
statues de Clemente IX qui formulari quoad

omnes apices subscribi curavit , non antè in communionem recipiens quosdam Episcopos in Gallia refractarios , quam exactam etiam hic obedientiam præstitissent? An etiam hos Romanos Pontifices furoris , hæresios , idolatriæ condemnabis? An iterum respondebis , ut respondes pag. 26. consequentiam esse nimis duram? Cur autem nimis dura sit , si legitima? Retractandum itaque tibi est impium , & Schismaticum antecedens , si à consequentia abhorrueris.

Puerile argumentum est , & inscitiam tuam prodens non vulgarem , quo probes non esse evidens , quòd propositiones 5 in Jansenio continetur. Jesuitæ , inquis , exigunt fidem divinam , ut credatur quod propositiones in Jansenii Augustino sint ; ergo fatentibus Jesuitis , non sunt ibi perspicue.

Quinam Jesuitæ requirunt fidem divinam? An ii qui censem non posse fidem versari circà ea quæ visu percipiuntur? An verò illi , ut sunt Jesuitarum hic plerique , qui ejusmodi evidentiam consistere in eodem intellectu admittunt cum fide strictè dictâ , & supernaturali? Quid igitur ex posteriorum sententia contra facti illius evidentiam exculpas?

Non etiam exigunt Jesuitæ , non exigunt Eminentissimi Cardinales , non Romani Pontifices

rifices fidem circā factum, quod voces ille
sint in libro Jansenii; sed quod sententiae il-
lius libri sint hæreticæ, quod propositiones,
quas in famoso volumine oculis ipsi nostris
intuemur, sensum ibi faciant hæreticum,
quem præ se ferunt propositiones constitu-
tione Pontificia comprehensæ. Hæreses au-
tem, quæ propositionibus, & libro Jansenii
continentur, non percipiuntur oculis, nec
nisi revelatione divinâ, quam nobis Pontifi-
cia definitio c̄tra erroris periculum declarat,
à nobis deteguntur.

Quæ cum ita sint, meritò hoc caput con-
cludo dicendo quod à me satis luculentè pro-
batum est, te criminationem instaurasse ut
ineptum Dialecticæ Tironem, prosecutum
esse ut infamen calumniatorem, terminasse
ut notorium Jansenistam.

C A P U T V I I .

*Expenditur Paragraphus 6 de Com-
munione sacrilegâ.*

Obsoletæ illius Thesios à quadraginta
tribus annis defensæ propositio erat
hæc: Impletur præceptum Christi sicut Baptismo,
ita & Communione sacrilegâ, affinis ut patet,

H 2

hunc

huic 55 ab Innoc. XI proscriptæ : *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam corporis Domini manductionem.* Discrimen inter utramque præcipuum est , quod prima agat de præcepto Christi , quale est de sumendo viatico , 2. de præcepto Ecclesiæ. Hic Adversarius aërem verberat , multum vociferatur , multa , more suo , splendidè mentitus , artem calumniandi ubique professus. Non minus Sancta sunt , non minus intemeratè servanda , minus etiam dispensationi obnoxia præcepta Christi , quam Ecclesiæ. Dispositionem Christus ad communicandum non minorem exigit quam Ecclesia. Usquamne hoc à me negatum? Numquid & disertissimè affirmavi sapientius , Christum prærequirere statum gratiæ? Ubinam autem asserui , calumniator impudentissime , quod mihi imponis pag. 30. *Satisfieri præcepto Christi per communionem sacrilegam?* Dixi non semel , propositionem esse dannatae affinem , imò & post decretum Innocentii periculofam esse , non semel indicavi licet negaverim esse prorsus eandem sicut jacet , aut in sensu Autoris condemnatam. Alterum probavi , propositionum collatis inter se terminis : alterum ex ipso Innocentii Decreto , in nullius Autoris sensu articulus feriente , sed *sicut jacent.* Neutra

pro-

propositio statuebat , non peccari gravissimo
sacrilegii peccato , quotiescumque sine dispo-
sitione debita communicatur : neutra inficia-
batur quod gravius delictum sit communio
sacrilega , quam communionis , sive à Chri-
sto , sive ab Ecclesia imperatæ omissio , quam-
vis ab imperitis ita nata sit accipi enuntiatio
utraque & hoc sensu perniciosa in praxi , si
quis nolens debitam animi adhibere disposi-
tionem , in peccato mortali communicaret ,
ut præcepto saltem inadæquatè satisfaceret.

Sensus Theologorum , qui propositionem
55 ante Innoc. XI. Decretum defenderant ,
erat quod , qui in Paschate communicarat
sacrilegè , non teneretur eodem anno com-
munionem repetere , vi præcepti Ecclesiastici ,
cum , ut ipsi supponebant , Ecclesia tantum
præcipiat actus externos , & indirectè inter-
nos illos , qui ad moralem actionem requi-
runtur , non autem actus alios & dispositio-
nes , sine quibus actio esse potest libera , &
humana. Similiter sensus Patris de Scildere in
Thesi controversa erat , quod , licet viatico
munitus sacrilegè , defectu debite dispositio-
nis , deliquerit gravissimè contrà præceptum
Christi , qui , ut per Apostolum suum de-
clarat , probari prius hominem vult ; alio-
quin non dijudicantein corpus Domini , ju-

dicium sibi manducare , & bibere pronuntiat ; sensus , inquam , Præsidis erat , quod is tamen non teneatur in eodem mortis articulo viaticum repetere . Rationem dabat à priori quidem , quòd verè sumpserit Sacramentum , cujus fructum probabiliter receperitus sit , sublato obice : sicut baptismus sacrilegè suscepimus , verè Sacramentum est , & sublato obice reviviscens : neque tenetur illum iterare extinetà jam illius Sacramenti suscipiendi obligatione quamvis per susceptiōnem nefariam : imò iterari non potest . Argumentum verò à posteriori petebat ex praxi Ecclesiæ , quæ tuim temporis viaticum non conferebat his eodem die , licet quis prius sumpsisset sacrilegè .

Verùm post Decretum Innocentii XI , quamvis propositio 55 in nullius determinatè Autoris sensu proscripta sit , tamen , quæ propria est Anti-Jansenistarum erga Sedem Apostolicam reverentia , si quem offendunt pœnitentem , qui sacrilegè in Paschate communicaverit , monent eum de iterandâ communione , ut præcepto Ecclesiæ fiat satis . Ais idem præstandum in Articulo mortis , iterandam etiam eodem die communionem , si prior fuerit sacrilega : idem meo quoque judicio præstandum est , si communione sacri-
lega .

Iegâ obligatio sumendi viatici extincta non sit , urgere enim tunc pergit præceptum Christi quod , cum possit , impleri debet quamvis eodem die , imò & eadem horâ , si moribundum serio pœniteat sacrilegii , aliorumque criminum quibus tenebatur obstritus neque mors diuturniorem moram patiatur.

Quæro tamen ex te , Domine Prior , an sententiam , quæ cum Autore Thesios , ejusque olim defendente Perillustri Humberto Guilielmo à Præcipiano statueret , non esse iterandum eodem die viaticum ingruente morte etiamsi priùs suscepimus fuerit sacrilegè , tam clare damnata censeas in propositione 55 inter 65 , ut nefas sit de eo dubitare ? Si ais , nescio an multos tibi suffragantes produciturus sis , nec planè scio , an Confessariorum , & Parochorum , maximè rigoristarum praxis sit . Atqui , ut ex ipsa Thesi liquet , nihil amplius volebat præses , nihil ejus defendens ; ergo minimè temerarius est , neque erga Apostolicam Sedem irreverens , qui non vult admittere , quòd sensus illorum clare damnatus sit in propositione 55 .

Si verò non clare damnatus sit sensus Professoris , & discipuli , neque propositio eorum formalis clare damnata est . Quid enim ,

Do-

Domine Prior , an in tuâ , seu Theologia
 seu Philosophia , si alterutram saltum à limine
 salutaveris , eadem censetur propositio for-
 maliter , ubicumque eadem voces reperiun-
 tur , iidem termini materiales , sed sensu dis-
 pari? Nonne vos strenuè negatis propositio-
 nem primam inter damnatas esse Jansenii ,
 quia termini quidem omnes materiales & eo-
 dem ordine reperiuntur in Jansenio , non
 tamen , si vobis credimus , eo sensu , quo dam-
 natam , & hæreticam propositiouem faciunt
 in Decretis Innocentii X. & Alexandri VII?
 Quid ni igitur exemplo vestro negare nobis
 liceat propositionem Thesios eandem forma-
 liter , adeoque eandem simpliciter & abso-
 lutè esse cum damnata , etiamsi omnes ma-
 teriales terminos eosdem esse supposueris ,
 quod etiam falsum est? Et quidem paulò
 majore jure id à nobis negabitur , quam à
 vobis ; nam & Jansenii verba eadem sunt ,
 quæ propositionis primæ , & testatur Pontifex
 constitutione maximè solenni , ac plurimis
 dein subsecutis Brevibus Apostolicis . eundem
 sensum esse quem in Augustino Jansenii hæc
 verba faciunt , & quem supra dicta autoritate
 configit. Nihil simile declaravit Innocentius
 XI de sensu ab autorib[us] intento circa pro-
 positiones 65.

Quis

Quis igitur satis miretur hunc tuum, emen-
tite Prior, stuporem atque inverecundiam, dum
negare audes ullam ex quinque famosis pro-
positionibus esse Jansenii, quidquid Roma-
ni Pontifices definierint, & jurejurando af-
firmandum decernant, nec tamen dubitas
propositionem 55 in nullius determinatè Au-
thoris sensu damnatam, adscribere Illustris-
simi Archi-Episcopo, imò & Archi-Epis-
copum & Casuistas passim damnatos pro-
clamare pag: 33? Quid si Jansenium à Ponti-
ficibus damnatum affero? Omnia
Neo-Augustinianorum animos concitabo.
At Casuistas, at Archi-Episcopum damna-
tioni subjicere sine piaçulo licet novæ cha-
ritatis præconibus.

Vides, Domine Prior, ineptas esse de-
clamationes omnes, quib[us] in me tanquam
omnis pictatis, & Religionis eversorem de-
baccharis; Vides inane esse, & stolidas ra-
tiones tuas, ad fascinandos rudes, & mu-
lierculas, non ad persuadendum aliquid vi-
ro utcumque Theologo compositas. Præ-
cipua est hæc: non audet Oropega affir-
mare, quod satisfiat præcepto Ecclesiæ per
Communionem sacrilegam, quia Innocen-
tius III in Concilio Lateranensi præcepit,
ut *omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos*
dis-

discretionis pervenerit, semel faltem in anno con-
fiteatur SUSCIPIENS REVERENTER, ad minus in
Pascha eucharistiam. Et tamen afferit satis-
fieri præcepto Christi per Communionem
sacrilegam.

Contrà, non satisfieri affirmavi terminis
maximè dilucidis; quia peccatur gravissimè
adversùs præceptum Christi, non tantùm
susceptionem Sacramenti imperans, sed di-
gnam & præmissa dispositione debitâ. Ita
scripsi in Confutatione Anonymi, ita in E-
pistolis ad Illustrissimum Internuntium, &
nunc repeto. Ubi autem docui unquam op-
positum? An cum negavi certò ac claris-
simè definitum esse quod viaticum, sacrile-
gè susceptum iterari debeat eodem die? A-
liud à me dictum non reperies. Calumnia
itaque quam fæpe repetis prorsus manifesta
est.

Audi Lector Patheticam viri hujus admo-
dum Religiosi exclamationem, in quam
prorumpit pag. 28. Ne faut-il pas avoir le cœur,
& l'esprit étrangement corrompus, pour trouver
mauvais, qu'on se soit plaint, qu'un Archevêque
ait soutenu une doctrine qui doit blesser tous ceux
qui ont quelque sentiment de pieté. An non opor-
tet hominem animi & ingenii esse maximè per-
versi, qui agrè ferat, nos conquestos esse quod

Av.

Archi-Episcopus defenderit doctrinam quæ non potest non offendere omnes qui scintillam habeant pietatis.

Necesè scilicet fuit Thesim à quadraginta, & amplius annis obliterata in tenebris crux, eamque apud imperitos in libellis vernaculis, fœdissimis coloribus adumbrare, ut Archi-Episcopus, ejus in Theologiae Tirocinio olim Defensor, tanquam Ecclesiæ pestis, & pietatis omnis, ac Religionis destructor traducatur. Integerimum profectò vitæ, seculiisque singulariter purum esse oportet Arcl i-Episcopum, cum, ut, quo eum apud plebem in inviadim vocent, nihil reperiant in tam proiecta ætate, nihil in tot rebus gestis, nihil in tot munib[us] amplissimis, ac dignitatibus quod ullâ veritatis specie ei valeant objicere, præter Thesim, quam ex Professoris præscripto adolescens semel pro exercitio Scholaslico defendit. Neque ea Thesis, ut ex Confutatione Anonymi, ex Epistolis sex ad Internuntium, & præsenti Tractatu perspicuum est, quidquam magnopere continebat quod non esset receptis pa[re]sim illo tempore principiis conforme. Neque Professor ille inter laxioris Ethicæ Patronos, sed potius inter Rigoristas illius tem-

temporis , utpote nullâ nisi majore probabilitate contentus numerabatur.

Suppone tamen inter positiones innumeras , quibus amplissimæ , libri instar , Theses abundabant , unam dein post triginta annorum intervallum fuisse condemnatain ; Estne operæ pretium propterea libellos infames conscribere adversus Archi-Episcopum , ut propositio illa palam ei exprobretur libellis vernaculis , quibus apud infimam plebem ejus fama denigretur , & quos ipsi Seculares Magistratus non leviori dignos supplicio judicaverint , quam publicâ per carnificem exultione ?

Ex eo autem vel maximè proditur persa calumniandi libido , quod propositio propter quam tot exclamationibus , tot invectivis indulgent , sit ea , quam tradidere omnium Ordinum Theologi Doctrinâ , ac pietate maximè illustres , ex Doctoribus Lovaniensibus præcipui Guilielmus Mercerus , Joannes Wiggers , Joannes Sinnichius , Gerardus van Werm , Andreas Laurent , Michaël Paludanus , Guilielmus Tasselon , Guilielmus ab Angelis , Jacobus Pontanus , aliique . An non ineptus accusator censendus eset qui viros tantos tanquam pietatis , & Religionis hostes propter ejusmodi propositio-

nem

nem olim traditam criminaretur ? Cur non & hos Anonymus libello suo famoso inseruit ? sed causam Archi - Episcopum impugnandi , exagitandi , calumniandi , satis indicat pagina 13 studium vindictæ , propterea quod Archi - Episcopus Jansenianam heresim non foveat , sed Jansenizantium novitates reprimat , non cecè sequatur eorum consilia , sed sua ipse præcepta maxime orthodoxa , & Pontificiam authoritatem afferentia proponat , & efficaciter velit executioni ab omnibus , quâ par est submissione , ac observantiâ mandari .

Non est cur Theologos Antijansenianos per contemptum toties Casuistas voces . Nullus magis putidus Casuista est , quam factio- nis vestræ Lovanii Princeps Doctor intrepidus Gummarus Huygens . Vide ejus confe- rentias tanto Neo-Augustinianorum applau- su exceptas : quid continent præter meros casus tam jejunè propositos , ut nihil exco- gitari possit magis siccum , nihil minus complectens eruditionis , vix quidquam præter nudas assertiones , omni destitutas probatio- ne . Si paulò plus casibus studerent Theolo- gi vestri , quam libris prohibitis , Jansenia- nis , famosis , non ad obvios casus hærerent quidam animarum Pastores , non tam turpi-

I ter

ter hallucinarentur, ut centenis exemplis in rebus uon levibus, & satis obviis errare eos compertum est.

Ad præsentem quæstionem in Confutatione addidi Catalogum brevem Theologorum quorumdam, qui dici volunt S. Augustini Discipuli, purioris Ethicæ defensores, reverè de Jansenismo aliisque Novitatibus suspecti. Non nisi septem paginas, quas accuratè Adversarius numerat, impendi perstringendo eos, quam potui maximè leniter, & tamen D. Prior de nimia queritur duritie, ac penè de atrocitate. An virorum illorum aliud crimen non sit, quam ut idem persuadere ntitur, impugnatio errorum, & perniciosorum dogmatum, quæ tum Societas, tum alii Casuistæ disseminant, decernat Lector ex *Responsione ad ineptam Anonymi comparationem inter Doctrinam Illustrissimi, & Novatorum*, ex libello Gallico D. de Long-val, ex Cornelio à Cranebergh, ex Michaele Nolf, Rudolpho ab Amstelbeeck, aliisque rerum hic gestarum, & traditorum dogmatum testibus. Fortè etiam plura brevi alii exhibebunt.

Quid autem in Confutatione cap. 6. ubi de Communione sacrilegâ, ad quæstionem illam faceret Novatorum Catalogus, & le-

vis

vis castigatio, indicavi in 2 parte difficultatum cap. 3. § 1 formabatur hinc argumentum, ut vocant, ad hominem. Cum enim Rigoristæ, licet non unam ob causam de Jansenismo suspecti, adducisse non patientur, ut dicant Anathema propositionibus quinque hæreticis, eo sensu, quo damnatae sunt, videlicet sensu Augustini Jansenii, ita im-
meritò ab eis urgeri Archi Episcopum, qui omnes omnino Constitutiones Pontificis summâ reverentiâ, & sinceritate amplecti-
tur, ut propositionem, quæ in nullius de-
terminatè Authoris sensu à Pontifice pro-
scripta est, Decreto publico detestetur, eo
scilicet sensu, quo à Novatoribus adscri-
bitur Societati, quam constat in præsen-
ti quæstione non ducem fuisse, sed sequac-
cem gravissimorum Doctorum ex omni Or-
dine, etiam ex Universitate Lovaniensi.

Magis quoque à ratione alienum est,
quod ab Archi-Episcopo homines inver-
cundi postulant, ut Decreto publico teste-
tur se nuntium remittere iis opinionibus,
quas nulla Pontificis Constitutio, nullum sa-
cræ Congregationis diploma configit, nul-
la ratio, nulla authoritas scandalosas pro-
bat, aut perniciosas. Ita Christus importu-
nos Accusatores, & Hypocritas compri-

I 2 men-

mendos esse docuit , modestè singulis sua
vitia exprobrando , ut à primo lapide mit-
tendo sibi caveret , qui delicti sibi pariter
non levis , fortè , & gravioris esset conscius.
Hinc teste Scripturâ omnes se tacitè subdu-
cebant unus post alterum , incipiendo à se-
nioribus. Illud Christi exemplum secutus
sum , licet similitudo , ut ceteræ passim in qui-
busdam claudicet , nam Mulier verè fuerat
in adulterio deprehensa , nullum Archi E-
piscopo crimen impingi potest , nisi à ma-
levolis , & perditissimis Calumniatoribus.

Non immeritò igitur à me exprobrata
est zelosis hujus temporis Novatoribus scan-
dalosissima obstinatio in rejiciendis Pontifi-
cum Constitutionibus maximè solemnibus ,
quando tam irreverenter Illustrissimum Ar-
chi-Episcopum audent laceſſere , doctrinam
ei exprobrare , quam in Theologiæ Tiro-
cinio edocitus , post illud nunquam afferuit ,
præscribere ei decretum , quo non tantùm
propositionem condemnatæ affinem , sed
alias omnes Neo-Augustinianorum princi-
piis non satis conformes publicè detestetur.
Tum usurpavi illud Christi Luc: 6. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras: aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater sine ejus-*
ciām

ciam festicam de oculo tuo , ipse in oculo tuo trahem non videns ? Hypocrita enice primū trabem de oculo tuo , & tunc perspicies , ut educas festicam de oculo fratris tui .

Quando Adversarius hæc frustrà à Christo dicta esse convicerit , fatebor etiam , frustrà à me retortam esse criminacionem .

Est & alia gravissimi momenti ratio , ob quam damnanda potius fuerit propositio 55. inter 65 , quam hæc Thesis , Impletur præceptum Christi sicut baptismō , ita & communione sacramentis . Cum Theologorum esset , nec paucorum , nec ignobilium sententia , quod Ecclesia non præcipiat , imò nec præcipere possit actus internos , natum erat fieri , ut quis existimaret per propositionem 55 indicari , quod Ecclesia internam dispositionem non præcipiat , adeoque dispositionis omissione , in quâ fundatur communio sacrilega , contra præceptum Ecclesiasticum non peccari . Ex propositione Thesios id , ne ab imprudentissimo quidem , colligi potest , cum in eâ agatur , non de præcepto Ecclesiæ , sed tantum Christi , ut ex terminis , quibus nihil potest esse expressius , sit manifestum . Cum enim disertè limitetur Thesis ad præceptum Christi , neque ullus sit qui dubitet , quin Christus imperare potuerit , & revera sacerdotius

imperaverit actas internos , nullum erat fundamen-
tum suspicandi , quod Autor Thesios
vellet negare præceptam à Christo esse dispo-
sitionem debitam.

Alia Thesios particula Autorem liberatâ
scandalosi illius , & verè falsissimi sensûs sus-
picione , cum scilicet additur *sicut baptismus* ,
ita &c. Quisquainne enim est , qui dubitet ,
an Christus baptismum præceperit? Aut nes-
ciat dispositionem ad baptismum à Christo
fuisse adultis imperatam? evidens igitur est ,
aliud in Thesi non fuisse propugnatum , quâm
quòd , sicut baptismus semel sacrilegè prop-
ter dispositionis defectum suscepimus , iterari
non debet , ita nec debeat viaticum sacrilegè
suscepimus , rursus sumi in codem mortis pe-
riculo ; Qui sensus an etiam damnatus fit ,
minus perspectum est : certè mihi non pla-
cket , qu'a non satis tutus. Ecce quâm parum
amans sim laxioris Ethicæ , qui quantumvis
levem damnationis umbram , & qualemcumque
periculum fugio tam studiosè. Utinam hanc
Anti-Jansenistarum erga Decreta Apostolica
reverentiam imitari tandem incipiunt , qui
sanctissimas fidei definitiones hactenus tam
protervè , tam irreligiosè , tam impiè , tanto
Ecclesiæ scandalo , & certâ , ni resipiscant , ani-
marum suarum pernicie proculcarunt.

Præ-

Præsenti capiti finem imposueram, cum
me accedunt duo è Clero Sacerdotes bo-
narum partium studiosi. His lucubrationem
exhibeo, quâ perlectâ, & suscitatis ex Hi-
storia mulieris adulteræ speciebus memorati-
bus, monent me i. & obsecrant, ut Anony-
mum clientem tuum pro merito castigem,
quòd Archi-Episcopum ex Brugensi Sede ad
Mechlinensem Metropolitanam legitimâ Pon-
tificis autoritate, ex voto Regis Catholici,
suminâ Orthodoxorum omnium approbatio-
ne, solis Jansenianis hæreticis freudentibus,
evectionem, de spiritualis adulterii criminе po-
stulaverit.

2. Monet illorum alter constare sibi quod
applicatio Historiæ de adulterâ, non futura sit
grata Neo-Augustini discipulis, meque de
falsitate convincendum testimonio insupera-
bili. Ad i. quod attinet, ne doctrinam hic
Archi-Episcopi cum morib[us] confundam,
cumque D. Prior, in quem tota præsens dis-
sertatio conscripta est, adulterii illius spiri-
tualis non meminerit, & innumeris Religio-
fissimorum Episcoporum exemplis, plurimo-
rum Pontificum approbationibus, hæc praxis
satis munita sit, & adversis obtrectantium
calumnias satis tuta, videor verba perditurus,
si illius integritatem, æquitatemque irrepre-
hen-

hensibilem multis suscepere vindicandam. Sint modò memores stringentes nostri damnandos sibi esse præcipuos factio[n]is suæ Episcopos Gallos, atque in primis defunctum numer per Tornacensem, pritis Convenensem, qui non tantum Sedem mutarunt, sed & in spirituali illo Rigoristarum adulterio efflarunt animam. Multò etiam magis damnandos tot Romanos Pontifices, qui mutationum illarum Autores fuere, vel approbatores, & si quod sit, crimen tam publicum, tam scandalosum, tam detestabile, nullâ unquam eluerunt pœnitentiâ, numquam retractarunt.

Profectò si crimen sit, illudque Pontifices agnoverint, non satis fuit, illud occultâ pœnitentiâ expiassé, debuit etiam ad averendum in posterum ab Ecclesiâ scandalum, publicè ab iisdem condemnari; alioquin tam Romani Pontifices, quam inferiores Episcopi, contritionis veræ expertes sunt, ad remissionem criminum non dispositi, sed impenitentes, reprobi, & æterni certò cruciatibus obnoxii.

His argumentis si quis adversariorum non contentus, paulò prolixiorem à me dissertationem requisiçerit, certamen non refugio, sed Novatorum turbam ultro lacesco. Interea viderint ipsi, quid dicendum sit de tot Pastoribus

ribus, maxime Rigoristis, qui ex tenui, & miserâ Parochiâ, vel ad commodum Canonicatum, vel Parochiam pinguorem, relictâ priore sponsâ pauperculâ, tam avidè aspirant, & ubi obtigerit, tam promptè convolant. Nulla-ne hic quoque spiritualis adulterii species?

Alterum quid de historiæ Adulteræ à me Jansenianis applicatæ indignatione paucis attigerat, explicari mihi distinctius postulabam. Jansenistis, inquiebat amicus Sacerdos, Archi-Episcopum urgentibus, ut Decreto publico retractet, quæ olim discipulus dicit in Scholâ Patrum Societatis, respondes, quòd, si Rigoristarnm illorum singuli errores suos in terrâ descriptos agnoscerent, ut Judæi adulteræ accusatores sua crimina, brevi unus post alterum incipiendo à senioribus, rubore suffusus, oculis in terram dejectis circumspecturus esset fugam. Atqui, inquit, zelosi nostri ab omni vitio, & errore Theologico alieni sunt; quòd ubi irrefragabili testimonio probatum videris, habebis de quocanis palinodiam. A diebus paucis Lovaniï officinam ingressus quidam militum Præfetus, ubi de mercibus convenerat, ait, tam multa se alibi de Jansenistis audivisse, rogat enixè Mercatorem, ut sibi exponat, quodnam istud.

istud sit genus hominum. Respondet Mercator se controversiarum Theologicarum peritum non esse, ceterum videri sibi Jansenistas homines comedentes, bibentes, nasum præ se ferentes ut cæteros. Ita Præfectus militum, nihilominus avidus Jansenistam aliquem videndi, dimisus est.

Postridiè officinam eamdem subit quidam Theologus Guminianus, sive Huygenius. Narrat ei mercator quid sibi contigisset pridie. Cui Theologus indignabundus, pessimè, inquit, respondisti. Dic tuum à te oportuit, Jansenistas esse Sancti Augustini discipulos, zelofos, pios, expertes peccati *Des hommes sans peché*. Sine peccato, exclamat Mercator, quam igitur felix fuit mulier in adulterio deprehensa, de qua in Evangelio, quod, cum apud Christum accusaretur, nullus adfuerit Jansenista, hic enim, utpote omnis expers criminis procul dubio *primum lapidem misisset*.

Nolim ego quidquam detrahere tam singulari, & ante hunc diem inauditæ Jansenistarum sanctitati; unde, si vera de se, suis quo testatus sit Gummianus ille, applicacionem historiæ Evangelicæ superi s. à me factam lubens revoco.

CA.

C A P U T V I I I .

*Expenditur Paragraphus VII de
fugienda occasione proxima
peccandi.*

Sic Thesis Patris de Scildere olim statuerat : Caret propositio sufficienti , qui deserere non vult occasionem , in qua ferè semper peccat , in eo periculo interpretative peccatum diligens , nisi per intensiōnem doloris , aut media extraordinaria , tollatur periculi propinquitas , vel certè valde grave malum incurendum excusat.

Quod in hac Thesi Domino Priori , & ante eum Autori Libelli *Les sentimens* , &c. displicet , est illud nisi valde grave malum incurendum excusat . Cumque nihil sit quod sine perfida corruptione transferre in aliud idioma possint Augustini Iprensis discipuli , Thesim quæ ut patet ex particula nisi , est hypothetica , opusculi flaminis damnati Autor vertit sensu absoluto , *On est point obligé de fuir l'occasion prochaine de pecher , si on ne le peut sans souffrir quelque tres-grande perte : Non tene-
mur fugere occasionem proximam peccandi , si absque damno valde gravi vitari non possit.*

Ia-

Inter utramque propositionem discriminem est, quod Thesis non afferat absolure, quod valde grave malum incurendum, si, vel quando occurreret, semper excusaret, quod clarissime afferitur in propositione, preutab Adversario perfidâ translatione mutatur. Idem scilicet sinceris nostris, & ingenuis Augustini discipulis est *nisi excusat & excusat* absolute.

Excusare absolute quamlibet causam utiliter, & honestam docebat propositio inter 65 damnatas sexagesima secunda. Ut igitur ad illam proprius accedere videretur Thesis, sic fuit Gallicè immutanda. Perfidiam hanc à me detectam adhibere ausus non est D. Prior, saltem non tam apertè. An simile quid non intenderit, quando Thesis ita vertit *si quelque tres-grand mal*, qui lui devroit arriver ne l'excusoit; Pro *si quelque tres-grand mal NE L'EXCUSE*, alii statuant. Supponam ego non malâ fide id ab Adversario præstatum; sed quia aliter, minus commoda fuisset totius membra translatio.

Pag. 35 dicas te non assequi, quâ ratione, aut cavillatione potius contendam, quod Illustrissimus olim adolescens non defenderit hanc Thesis: *Valde grave malum incurendum excusat à vitanda occasione proximâ peccandi*. Respondeo, quod facile assequereris discrimen

men quod est inter propositionem illam, & Thesis ab Illustrissimo olim defensam, nisi vel ingenio esse admodum hebeti, vel intellectum tibi excæcasset malevolentia. An non patens discriminem est inter *excusat*, & *nisi excusat*? Aio tantum discriminem esse, quantum inter *excusat*, & *si excusat*, tam enim particula *nisi*, quam particula *si*, facit sensum mere hypotheticum.

Præterea ut tibi gratis concedam, mentem præsidis, ejusque tunc defendantis fuisse, quod in aliquibus circumstantiis fieri possit, ut malum aliquod sit adeò grave, ut tum ipsa excusat quempiam à vitanda occasione proximâ, Thesis tamen nec formaliter, nec virtualiter docet, in omnibus circumstantiis quemlibet à fugienda occasione peccandi proximâ excusari, quoties malum alioquin incurendum esset valde grave. Absolutam illam simul & universalem excusationem stabilit tua propositio; est enim absoluta, dogmatica, & indefinita. Quod autem valde grave malum semper excusat, numquam extundes ex his verbis Thesios conditionatæ *nisi excusat* valle grave ma'um.

Nondum capis Prior Anti-Monache discriminem? An adhuc conqueri de me perges, quod non sine enormi injustitiâ, & perspi-

K cua

(no)
cū fallaciū arguam clientem tuum , quod
propositionem Illustrissimo imponat aliam ,
quācum propugnaverit?

Eādem pag. triumphas quasi stationem hanc
coactus deseram , quā , inquis , mera cavilla-
tio est . Etiam hīc stuporem tuum prodis :
aliud enim est dissimilare aliquid , sive gratis
concedere , aliud eō adigi pondere rationum ,
q̄x hīc nullæ allatæ à quoquam sunt . Ve-
rūm dum clientem tuum dē ineptia convici ,
& de malā fide , quod propositionem mere
hypotheticam verterit in absolutam , volū
ulterius ipsius in accusando temeritatem ostendere , etiamsi supponeretur , quod admissis
set Thesis aliquando fieri posse , aut revera
fieri , ut malum incurendum tam grave
sit , ut à fugiendâ aliquâ occasione proximâ
excuset . Sententiam hanc confirmavi autoritate
tam validâ Theologorum ex omni penè
Ordine Primiorum , tot Episcoporum , &c.
ut summa arrogantiæ sit , vel insaniæ , illam ,
propter quosdam Novatores , & de hæresi
aliundè suspectos , criminari .

Doctrinam hanc , inquis , proscribit Christus
jubens præcidi manus , & pedes , oculos erui , si te scandalizent .

Non ignorant Theologi Orthodoxi dictum
illud Christi , & sane interpretantur . Quo-
rum

rum explicationi prudentius acquiescam, an paucorum tenebriorum, an communissimæ eorum, qui ab omnibus habentur viri per quam eruditæ & pii? Quando alterutrum eligendum esset, vel peccatum, vel præcisiō pedum ac manuum, hanc ait Christus præferendam. Hoc Thesis minimè negat etiamsi supponeretur affirmare, quod malum valde grave aliquando excusat à fugiendâ occasione. Potest enī firmiter proponere quod in occasione proximâ superaturus sit cum Dei gratiâ temptationem, & pravam consuetudinem. Quod autem omnium Ordinum Thelogos maximè illustres etiam Episcopali, & Cardinalitiâ dignitate conspicuos, impudentiâ Novatoribus ordinariâ contemnas, tanquam scandalosæ, & perniciose doctrinæ propugnatores, non me commovet. Totius scilicet orbis Thologi, exceptis paucis hic Lovanii, aut circa, omnis humanæ autoritat̄, etiam Pontificiæ contemptoribus, Castissimæ sunt, sublimi illâ Theologicâ scientiâ solis Jansenistis relictâ.

Præclarum specimen Theologici acuminis, in se, suisque emicantis præbet Jansenius Prior, cum dicit; *Viros sapientissimos ab Autore opusculi LES SENTIMENS, esse convictos, quod propositio Archi-Episcopi de proxima peccandi*

occasione , condemnata sit ab Innoc. XI tanquam perniciosa : imò hellebero opus esse omnibus , qui non vident eam contineri , & proscriptam esse in hac 62 inter 63 proxima occasio peccandi non est fugienda , quando aliqua causa utilis , aut honesta non fugiendi occurrit . Hoc enim ex admissis ubique Regulis Logica ait esse perspectissimum .

Ego uero censeo , & jam luculentē demonstrabo non esse micam rectae ratiocinationis in tota Adversarii probatione , & consequenter fatuam fore Lovaniensem Logicam , ejusque tradendae Methodum meritō à D. vande Velde Mathesios simul ac Philosophiae apud Lovanines Professore publico , fuisse explosam , si talia alumnos suos principia , talem ratiocinandi modum edoceat . Conferamus propositionem utramque , ejus sensum discutiamus sedulō .

Propositio Thesios sic habet : caret proposito sufficienti , qui deserere non vult occasionem , in qua serè semper peccat ... nisi ... valde grave malum incurendum excusat .

Propositio damnata : Proxima occasio peccandi non est fugienda , quando aliqua causa utilis , aut honesta non fugiendi occurrit .

Superius ostensum est propositionem Priorēm absolutē non assērere , quid aliquod tam grave

grave malum reverè excusans existat, sed tan-
tum quod possit quis in occasione, in qua
ferè semper peccat, adeoque in occasione
quæ sit saltem per accidens proxima, habere
propositum ad absolutionem sufficiens, si
detur aliquod valdè grave malum, quod in-
currendum excuset à fugiendâ hîc, & nunc
occasione proximâ.

Propositionis verò damnatæ sensus est:
proxima peccandi occasio nunquam est fu-
gienda, quotiescumque causa aliqua utilis,
aut honesta occurrit, r̄ve parum, sive mul-
tum utilis sit aut honesta. Prima propositio
præterquam quòd merè hypotheticè afferat
illud quod secunda absolute, non præstat sen-
sum universalem, quasi malum quocumque
valdè grave semper excuset; sed, ut gratis,
& liberaliter adversario concessi, ad suum inum
afferit, aliquid malum posse esse adeò grave,
ut excuset à fugiendâ occasione, in quâ quis
ferè semper peccat, sive quæ respectu illius
est proxima saltem per accidens.

Secunda facit sensum maximè universalem
cum sit dogmatica, absoluta & indefinita.
Æquivalet igitur huic *nulla* occasio proxima
est fugienda, quandocumque aliqua causa,
quomodocumque utilis, aut honesta non fu-
giendi occurrit: jam autem sunt-ne omnes

K 3' in-

inter Theologos præstantissimi convicti quod non possit propositio posterior falsa esse, vel damnata, quin simul falsa vel damnata sit prior? Omnibus ne helleboro opus sit, qui consequentiae hujus necessitatem non percipient?

Enimvero, inquit Adversarius, si Oropega tam esset in ratiocinandi arte versatus, quam videri vult, non ignoraret, quod, si haec propositio sit falsa, & perniciosa, ut revera est, teste Innocentio XI. aliqua causa utilis aut honesta excusat à fugienda occasione peccandi proxima, necessariò vera sit haec: Nulla causa utilis, aut honesta excusat ab occasione peccandi proximâ.

Adeòne debeo esse in ratiocinandi arte versatus, ut hanc consecutionem percipiam esse legitimam? Verum quid hinc ad stabilicendam criminacionem tuam, nisi probaveris quod haec enuntiatio, *Aliqua causa utilis, aut honesta excusat à fugienda occasione proximâ* cadem sit, vel æquivalens illi, quæ est inter damnatas sexagesima secunda, *proxima occasio peccandi non est fugienda, quando aliqua causa utilis aut honesta non fugiendi occurrit?* Afferis quidem, sed rationis aliquid postulatur, quo assertum probes. Ego te in ratiocinandi arte singulariter versatum, immò monstrum Philo-

po.

sophi prædicabo, si probaveris. Damnata propositio statuit universaliter, quod altera tantum particulariter. A quoniam autem tempore, subtilis dialectice, & per quam regulam ex falsitate universalis affirmativæ, ut est hæc; licet manere in occasione proxima quotiescumque aliqua causa utilis vel honesta manendi, sive non fugiendi occurrit. Sequitur falsitas particularis affirmativæ E. G. hujus; datur aliqua causa utilis, vel honesta, quâ positâ, licet manere in occasione proximâ? Potest enim esse talis causa, quæ moralem impotentiam minimè levem inducat.

Et tamen ejusmodi sequelas admitti necesse est ab iis omnibus, qui inter præclaros Theologos à Priore subtili collocari amant, & non inter eos, quibus opus sit helleboro. Infamis Anonymi ineptum arguendi modum obtriveram in *Confutatione*, inducendo exempla Argumentationum prorsus similia, & evidenter fatua, ut sic faltem calumniatorem stolidum, si quid frontis haberet, pudore suffunderem criminatioñ tam imperitæ. Verum cum nulla fœditas sit, nulla causa tam desperata, nulla tam manifesta falsitas, quæ suum non reperiat patronum, non potuit etiam suus decessus infami Anonymo. Quid autem ad objectas à me argumentationes,

stultæ

stultæ calumniatoris ratiocinationi persimiles
 respondeat, videamus. Sed referenda prius
 sunt argumentationes adversæ, quamvis to-
 ties repetere eadem tñdeat. Quando asserue-
 rat Anonymus damnatam esse doctrinam
 Thesios tanquam perniciosa ab Innocentio
 XI ferente hanc 62, Proxima peccandi occasio
 non est fugienda, quando aliqua causa utilis, aut
 honesta non fugiendi occurrit: Tunc ego pluri-
 heum hunc disputatorem sic adortus sum:
 „Idem igitur tibi, tuisque zelosis est, Ali-
 , qua causa utilis aut honesta, qualiscumque illa
 „sit, sive parva, sive magna, & Valde grave
 „malum inuerrendum, ob quod se eximere occa-
 „sione illi non potest? Ridiculus es, & con-
 „temptu potius, quam confutatione dignus.
 „Ut tamen à stupore redeas, quem ex ma-
 „levolentia, & nimio calumniandi æstu con-
 „traxisti, ob oculos tibi pono conclusiones
 „aliquot, omnium judicio fatuas; in his
 „argumentationis tuæ dementiam conspicies,
 „&, ut confido, temeritatem tuam con-
 „demnabis.

„I. Proscripta est hæc 3. inter 65. Pre-
 „sidenter agimus, quandocumque adest aliqua pro-
 „babilitas. Sive ut verbis utar propositionis
 „idem prorsus significantis: Generatim dum
 „probabilitate sive intrinsecâ sive extrinsecâ;
quæ

„quantumvis tenui , medo à probabilitate fuisse
 „non exeatur , confisi aliquid agimus , semper pru-
 „denter agimus. Ergo damnata est hæc , datur
 „quandoque valde magna probabilitas , quæ confisi
 „prudenter agimus. Nonne conclusio hæc ac-
 „cedit ad 3. inter 31. damnatam ab Alexan-
 „dro VIII. Non licet sequi opinionem vel inter
 „probabiles probabilissimam ?

„2. Damhetur hæc : tenuia motiva credibili-
 litatis ad fidem sufficiunt : dicit enim ad pro-
 positionem 2. inter 65. assensus supernatura-
 lis , & utilis ad salutem stat cum notitia solum
 probabili revelationis , imo cum formidine , quæ
 quis formidet ne non sit locutus Deus. Ergo mo-
 tiva credibilitatis valde magna ad fidem non
 sufficiunt. Quæ conclusio viam sternit , ad
 propositionem 4. inter 65. ab infidelitate ex-
 usabitur infidelis non credens , ductus opinione
 minus probabili.

„Damnata sit hæc , ut revera est damna-
 bilis , & accedit ad propositionem 52. inter
 65. Non teneor sub mortali audire sacrum die
 festo , quando aliqua causa utilis , aut honesta
 non audiendi occurrit : Ergo tencor sub mor-
 tali audire , ita ut nullum valde grave ma-
 lum incurendum excusat , ne quidem ejus-
 modi . quod inducat impotentiam , saltem
 moralem , sacrum audiendi.

„¶. Damnetur hæc, ut meretur; non te-
 „, neor sub mortali jejunare, quando aliqua causa
 „, utilis, vel honesta non jejunandi occurrit: Ergo
 „, & damnata erit ista; aliquando valde grave
 „, malum incurendum à præcepto jejunii ex-
 „, cusat, saltem quando malum est eiusmodi,
 „, ut moralem jejunandi statuat impotentiam.
 „, Nondum percipis argumentationum istarum
 „, illationes stolidas esse, & vel tyronibus pu-
 „, dendas? Tuae tamen sunt, aut tuis non
 „, absimiles: sic enim argumentaris: Innocen-
 „, centius XI. prescripsit hanc 52. proxima ob-
 „, casio peccandi non est fugienda, quando causa
 „, aliqua utilis aut honesta occurrit, sive parum
 „, sive multum utilis, & quomodo cumque
 „, honesta: locutio enim illimitata est, &
 „, cum dogmatica sit, æquivalens universalis.
 „, Quapropter damnata est ista: Aliquod grave
 „, malum incurendum, quod moralem vitandæ oc-
 „, casionis potentiam inducat, à vitanda occasione
 „, proxima excusat. Si nondum criminacionis
 „, tue vanitatem agnoscis, frustra labore te-
 „, cum certando argumentis, non alio tibi
 „, magis, quam helleboro opus. Quare mo-
 „, nitum accipe, quod nuper Palladius (forte
 „, idem ipse es calumniator) gratiæ Thomi-
 „, sticæ sufficientis assertoribus suggestit, ut
 „, Anticyras proficisciare, inde bono curatus
 „, Helleboro redditurus.

Quid

Quid ad hæc Dominus Prior? Fateri non vult clientem suum prostratum adeò, ut erigi nullâ cavillatione valeat. Sic igitur responderet.

Ad i. hæc propositio: *ubicunque est aliqua probabilitas semper prudenter agimus*: Reducitur ad hanc: *aliqua probabilitas sufficit ad prudenter agendum*; quâ propositione damnatâ rectè sequitur veritas hujus: *ad prudenter agendum nulla probabilitas sufficit*. Hic certè, licet non eruditio*nis*, at saltem argutiæ aliquid prodit Dominus Prior quando loco hujus propositionis distinctissimæ, quam posueram, datur quan*dique valde magna probabilitas*, qua consi*p*rudenter agimus: inavult hanc substituere, aliqua probabilitas sufficit ad agendum prudenter. Mea propositio evidenter est tantum particularis, supposita ab Adversario accipi potest particulariter & universaliter. Particularis est hoc sensu accepta; *inter probalitates est aliqua, quæ sufficit ad agendum prudenter*. Hoc modo ubi accipitur, falsum est, quod ad eam reducatur tertia propositio damnata: *generatim, dum probalitate, sive intrinsecâ, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo à probabilitis finibus non exeat*, consi*p* aliquid agimus semper prudenter agimus. Ubi ex particulis generatim & seu per notum est dialecticè Tironibus, saltem paulò minus stupidis, quam sit noster Jansenista-

rum

rum Prior, enuntiationem esse universalem.
An autem particulare n affirmativam cum uni-
versali affirmativâ confundere, sit reductio-
num, & æquipollentiarum regulas callere,
an in primis hallucinari dialecticæ elementis,
lector judicet. Propositio anceps ab Ad-
versario supposita accipi potest etiam sensu
universali, hoc modo: *Aliqua probabilitas suf-
ficit ad prudenter agendum: id est ubicumque
est aliqua probabilitas qualiscumque illa sit ad pru-
denter agendum semper sufficit.* Ad hanc fateor
reduci optimè tertiam inter 65. Verum hoc
sensu propositio ad quæstionem enodandam
non pertinet: neque ad argumenti à me pro-
positi solutionem. *Est homines decipere,* inquit
Adversarius, *dicere, quod 3. quam damat*
Innot. XI. si eadem quam refert Oropega. Quid
igitur discriminis est, D. Prior, inter utram-
que quoad sensum? Nam verba professus sum
differre materialiter, ut in omnibus proposi-
tionibus æquipollentibus.

Propositio damnata, jam sæpius à me re-
lata est, generatim, dum probabilitate, sive in-
trinsicâ, sive extrinsicâ, quantumvis tenui, modo
à probabilitatis finibus non exeat, consili aliquid
agimus, semper prudenter agimus. Eam dixi
quoad substantiam, seu sensum convenire
cum hac: *Prudenter agimus quandocumque est*
alim

aliqua probabilitas. Ubi patet nullam esse differentiam , nisi penes brevitatem in 2. & majorem explicationem in 1. verum ne argumento meo constrictus obmutescere visceris , aliquid verborum inanum dare voluisti , quod solutionis alicujus à se minimè intellectæ loco , saltem rudes , & mulierculæ acciperent.

Præterea , inquis , est hominibus fucum sacere , afferere quod idem sit , ALIQUA PROBABILITAS SUFFICIT AD SEMPER PRUDENTER AGENDUM , & QUANTUMVIS LEVIS SIT PROBABILITAS , MODO PROBABILITATIS FINIBUS NON EXEATUR , SEMPER SUFFICIT AD AGENDUM PRUDENTER. Identitatem hic , aut æquivalentiam nullam afferui. Quid igitur tempus perdis , & verba ? Scio priorem enuntiationem sensus esse ambigui , ideoque eam non adhibeo.

Illud est quod contendō , neque tu unquam convelles : quod , sicut non sequitur : *Dannata est hæc propositio: omnis probabilitas sufficit ad semper prudenter agendum: ergo dannata est hæc: aliqua probabilitas sufficit ad aliquando prudenter agendum;* ita non sequatur , *dannata est hæc: omnis causa utilis, aut honesta excusat à fugienda proxima peccandi occasione: ergo dannata pariter est hæc: datur aliqua causa utilis, aut hc-*

L

neſt:a

nesta , quæ aliquando excusat à fugienda proximâ peccandi occasione . Fateri cogeris argumentationem utrobique esse persimilem , aut cedo disparitatem . Atqui evidens est i. conclusio nem non sequi , imò falsam esse , & damnatam profiteris ab Alex. VIII. ergo falsa pariter est illatio ultima .

Hallucinaris , Domine Prior , si existimes tum Autorem Thesios , tum me affirmare quòd ubicumque malum valdè grave incurendum foret , semper excusemur à vitanda occasione proximâ peccandi . Thesim excute , quantâ potes solertiâ , adhibe etiam Sophismatum fucos pessimæ criminatiois Patronis familiares , scrutare Confutationem Anonymi , nunquam hanc Thesium Autori , aut mihi propositionem istam ullâ veri specie poteris astricare : imò verò ejus contradictiorum tradidi pag. 56. his verbis : Observandum tamen Autoris huius (Patris Antonii à Burgundia in praxi solida , pag. 44. & 45. prudens monitum : quo periculum peccandi , vel ipsum maius est , vel majoris peccati , eo gravius damnum sit necesse est , quod preponderare possit . Imò tam præsens tantumque esse potest mortalis peccati periculum , ut nullum damnum , nullumque temporale incommodum ei adæquari posset . Unde dixi semper ; dummodo adsit spes bona peccatum vitandi ,

G.

&c. hec enim si desit, locum habere videtur illud
Christi Mart. 5. si oculus tuus dexter, &c. Vi-
des igitur ne hanc quidem à me statui, sed
expressè negari, datur aliquod valde grave in-
commode, quod, ubicumque occurrit, semper
excusat à vitanda occasione proximâ.

Similiter non admitto quòd detur ulla pro-
babilitas speculativa, licet probabilissima,
qua semper excusat: imò addo quod ne mo-
ralis quidem certitudo speculativa semper suf-
ficiat ad agendum honestè. Tantum etiam hic
absim, Domine Prior, à damnabili laxita-
te. Casum propono evidenter, in quo non
liceat: proposui cum aliquando in disputa-
tione publicâ. Quidam Theologæ Professor
in Thesibus accusabat R. P. Ægidium de Ko-
minck, tanquam reuim propositionis primæ
inter 65, propterea, quod statuat licere in
Sacramentorum administratione sequi sen-
tentiam practicè probabilem relicta tutiore.
Ajebam propositionem damnatam non di-
stinguere inter probabilitatem speculativam &
practicam. Reponcebat Præses multum exosus
probabilitatis saltem vocabulum, quidquid sit
de re, & praxi, distinctionem illam inanem
esse, probabilitatem practicam niti probabi-
litate speculativa: requiri speculativam ubi-
que certitudinem, saltem moralem, ut quis

in praxi honestè procedat. Quærebam , an speculativa certitudo moralis semper sufficeret. Affirmabat præses , quia , inquietabat, Deus in hoc statu ignorantiae , & cæcitatis plus ab homine non videtur requirere. Ergo, inferebam , in administratione Sacramentorum licitum est universaliter adhibere materiam , quæ tantum est moraliter certò valida, etiam si in promptu sit certa physicè. Admittebatur sequela. Concludebam : ergo licitum est puerum moribundum baptizare adhibendo materiam tantum moraliter certam E. G. tenuissimam cerevisiam vel alium liquorem, qui moraliter certò sit aqua , sive materia baptismi , neglectâ materiâ physicè certâ , E. G. aquâ fluviali , quæ ad manum est. Sed bonus præses , non videbat se laxitatem etiam probabilistis intolerabilem admittere , donec à suis monitus in sequenti disputatione sententiam retractavit. Sic probabilitatum hostes implacabiles , in quibusdam laxones putidissimi sunt , ut Bajani , & Janseniani omnes , & meritò improbabiliæ vocantur , qui , dum nihil crepant nisi certitudinem , eam affingunt iis sententiis , quæ ne micam quidem habent probabilitatis. Sed redeundum est ad D. Priorem.

Ad 2. respondet D. Prior , admittendo

totum : Videlicet quod non sequatur : Falsa
 est haec : tenuia motiva credibilitatis ad fidem suf-
 ficiunt , ergo falsa pariter est ista : motiva credi-
 bilitatis valde magna ad fidem sufficiunt . " Verum ,
 „ inquit , quid hinc Oropega in rem suam ?
 „ Si in propositione ab Innoc. XI. proscriptâ
 „ diceretur levis aliqua utilitas , vel honestas ex-
 „ cusat à fugienda occasione peccandi proximâ ,
 „ nunquam in animum nostrum induxissemus
 „ quod Pontifex , damnans propositionem il-
 „ lam , simul confixisset sententiam Illustris-
 „ simi , statuentem quod malum valde grave
 „ incurrendum ab obligatione fugiendi occa-
 „ sionem proximam excuset ." Atqui , Domine
 Prior , propositio haec ab Innocentio dam-
 nata : Proxima peccandi occasio non est fugienda ,
 quando aliqua causa utilis , aut honesta non fugiendâ
 occurrit , cum sit dogmatica , & indefinita ,
 æquivalat huic universalis , nulla proxima pec-
 candi occasio est fugienda , quotiescumque
 aliqua causa utilis , aut honesta non fugiendâ
 occurrit . Levis autem utilitas , vel honestas
 est aliqua utilitas , vel honestas . Igitur pro-
 positio damnata docet , quod levis aliqua
 utilitas vel honestas excusat à fugienda occa-
 sione peccandi proximâ . Ergo ex tuâ propriâ
 confessione convinceris , quod non debuissetis
 unquam in animum inducere , quod propositio ab

Illustrissima olim defensa , quæ agit de malo
valde gravi , sit condemnata.

Præterire non potuisti R. P. Ægidium
Estrix quin ejus Diatribæ Theologicæ propo-
sitionem hanc impingeres *Tenuia motiva cre-
dibilitatis ad fidem sufficient*. Nullum ex diatribâ
locum citas , quia , ut existimo , nullum le-
gisti. Ego quidem librum illum aliquando
legi , sed propositionis illius à me usquam
lectæ non memini. Paginam mihi adversarius
designet , ut de accusationis veritate dispi-
ciam.

Quânam verò autoritate ita Decretum In-
nocentii interpretaris pag. 39. quasi ideò con-
demnet propositionem 62 , quia censet Pon-
tifex quòd nulla causa utilis , aut honesta
quantumcumque sit gravis à fugiendâ proximâ
peccandi occasione excuset ? An illa quæ sta-
tuit omnem , & qualecumque seu utilitatem ,
seu honestatem sufficere , feriri non potuit ,
intactâ illâ , quæ enuntiat aliquam utilitatem ,
vel honestatem valde magnam aliquando ex-
cusare ? Ad ratiocinationes tuas tam stupidas ,
ut ne in puerò quidem Theologiae profus
ignaro , & dialecticæ Tirone tolerentur , ab
indignatione se continere est perdifficile.

Ad tertiam argumentationem respondes
etiam stolidius , quàm ad præcedentes.

Quan-

„Quantum, inquis, attinet ad hanc propo-
 „sitionem; quam Didacus refert tanquam
 „damnabilem, imo reipsâ damnatam in 51.
 „inter 65 videlicet: *Non teneor sub mortali au-*
 „*dire Sacrum die Festo, quando aliqua causa uti-*
 „*lis, aut honesta non audiendi occurrit, respon-*
 „*demus Didaco, quod propositio his ter-*
 „*minis expressa, non fuerit confixa ab In-*
 „*noc. XI. Quapropter, nequit hinc inferre,*
 „*quod, etiamsi damnata sit, non sequatur*
 „*pariter damnatam esse istam: teneor die*
 „*Festo Sacrum sub mortali audire, ita ut*
 „*nullum valde grave malum incurendum*
 „*excuset, nequidem ejusmodi, quod inducat*
 „*impotentiam saltem moralem Sacrum au-*
 „*diendi.*” Hic hærebat aqua Domino Priori.
 Videbat argumentationem fatuam esse, suæ-
 que persimilem; unde ne & suam esse ridi-
 culam fateri cogeretur, responsum decli-
 nare nititur, & objectionem eludere.

Verum non sic hominem elabi patiar.
 Cùm ais propositionem hanc: *Non teneor sub*
mortali audire sacrum die Festo, quando aliqua
causa utilis, vel honesta non audiendi occurrit,
 à me referri, tanquam reipsâ damnatam 52
 inter 65, ostendis te, vel mandacem hic,
 ut sàpè alias, vel tam stupidum, ut ne ter-
 minos quidem in Scholis passim obvios in-
 tel-

telligas. Aiebam pag: 57: *damnata sit hac ut revera damnabilis est*, & accedit ad propositionem 52 inter 65. Ubinam asseritur propositionem reipsa, ut à me dictum fингis, esse proscriptam? Non in hoc termino *damnata sit*; paret enim merè Hypotheticam locutionem esse æquivalentem huic; *supponamus damnatam esse*, vel *si damnata foret*. Aio quidem *damnabilem esse*, & ad propositionem *damnatam accedere*; Verùm hoccine idem est, quod propositionem REIPSA ESSE DAMNATAM?

Non in condamnatione reipsa extente, sed in ejus Hypothesi ostendere volui argumentationis tuæ ineptiam. Actualis existentia, vel non existentia condemnationis, rationi nihil addit efficaciæ vel adimit. Si enim talis conclusio non nisi stultè inferretur ex tali supposito antecedente, etiam tua conclusio, quæ non magis ex antecedente à te posito sequitur, non minus ridicula est.

Ut autem nulla tibi elabendi, aut tergi-versandi spes sit, hâc te ratiocinatione constringo: Non magis sequitur ex condemnatione unius propositionis condemnatio alterius, quam ex falsitate unius sequitur alterius falsitas; atqui antecedens argumentationis tertie est: evidenter falsum, & tamen ex ejus falsitate nullo modo sequitur falsitas conclusio-

sionis

sionis ibidem positæ , ergo etiamsi suppone-
retur antecedens condemnatum , non seque-
retur damnatum esse consequens. Atqui tua
argumentatio prorsus est ejusdem formæ er-
gò non minus illegitimè ex antecedentis fal-
sitate , & condemnatione , concludis falsi-
tatem , & condemnationem consequentis.

Denique an negare auderes , quod pro-
positio hæc : *Non teneor sub mortali audire sa-*
crum die festo , quando aliqua causa utilis , aut
honesta non audiendi occurrit , sit falsa , sit r-
verà damnabilis , & accedat ad 52 inter 65 ,
quæ ita sonat : Preceptum servandi festa non
obligat sub mortali , seposito scandalo , si absit con-
temptus ?

Ad quartum respondes eodem modo :
Circa propositionem , inquis , quam adducit Oro-
pega de obligatione jejunandi , & causâ justâ obli-
gationem eximente idem respondendum est. Cùm
igitur non aliud habeat Adversarius , quod
reponat , quām quod stolidæ ineptiæ ad 3
jam convictum est , ibidem à me disputata
facile etiam hic Lector , servatâ proporțio-
ne applicabit , cum ejusdem prorsus formæ
argumentationem esse Adversarius ipse non
inficietur.

Nunc te , Domine Prior , rogatum velim ,
qui sunt illi tui SAPIENTISSIMI , quibus ab Au-
tore

tore libelli Anonymi *Les sentimens*, planè per-
suasum esse jactitas, quod propositio Illustrissimi de
occasione proxima, declarata sit perniciosa, &
ut talis condemnata ab Innocentio XI? Age no-
men exhibe saltem unius, non requiro sa-
pientissimum, sufficiet mihi vir, utcumque sa-
piens, non suspectus aliunde de odio in
Archi-Episcopum, neque de Jansenismo.
Assero ego confidenter nullum proferen-
dui, nec proficerri posse nisi vel insanum,
vel insigniter saltem stupidum, vel odii pas-
ne excæcatum, ut prolixâ satis criminatio-
nis totius discussione jam demonstratum
est.

C A P U T N O N U M.

*Expenditur Paragraphus 8 de pec-
candi consuetudine exponenda Con-
fessario roganti.*

Qui ab illustrissimo impetuuntur, inquid-
bat infamis Anonymus, non levem se
adversus enm nactos existimant triumphi materiam
ex Thesum § 68 ubi hanc propositionem defendit:
CONSUETUDO RECCANDINE QUIDEM ROGAN-
TI CONFESSARIO FATENDA EST, &c, Ansam
vclò

verò canendi victoriam eis præbet Decretum Innocentii XI , qui eandem doctrinam velut pernici-
sam debellavit , proscribens propositiones 65 , qua-
rum 58 est : NON TENEMUR CONFESSARIO
INTERROGANI FATERI PECCATI ALICUIUS
CONSUYETUDINEM.

Thesis verò ab Illustrissimo olim defensa ,
quam Anonymus criminatur , sed insigni
persidiâ mutilatam , sic habet : *Consuetudo pec-
catum per se ne quidem notabiliter aggravat , qua-
re ne quidem roganti Confessario fatenda est , nisi
ab imperitis , & passione execratis , ut docean-
tur de cavenda occasione peccandi proximâ , quam
ignorant , & remedium , quod sibi dare non pos-
sunt , à Confessario accipient .*

Quantum sit propositionis sic fideliter re-
latæ , & mutilatæ ab Anonymo discriminem ,
quivis perspicit . Prout ab Adversario induci-
tur , convenit prorsus cum damnata 58 inter
65. non tenemur Confessario interroganti fateri pec-
cati alicuius consuetudinem : Præterea ut ab ad-
versario iam relata est , agit de omnibus omnino
peccatoribus , quantumvis imperitis , & pas-
sione execratis , qui neque norunt cavendam
esse proximam peccandi occasionem , neque
ad cavendos deinceps relapsus remedia : ubi
propositio Thesios ab articulo damnato remo-
tissima est , & apertè ei opposita . Confiten-
dam

dam enim statuit peccandi consuetudinem ab imperitis, & passione execratis, ut doceantur de cavendis peccandi occasionibus proximis, & remedia, quæ sibi dare nequeunt, ab Adversario accipiant.

Non dubitabat Anonymus, quin is, qui Illustrissimi causam suscepturnus esset, detestabilem hanc perfidiam pro meritis castigaret, ideo sub finem criminationis, particularam hanc *nisi ab imperitis & passione execratis*, tamquam minoris momenti antea neglectam, tandem restituit.

Cur sententiam Thesios integrum prout à me exhibita est, non adduxit? Cur particularam faltem tam manifestè restringentem, & distinctivam à propositione damnata non praesertit ab initio? Quis scopus Anonymo esse potuit in quem collimaret, referendo prius Thesim tam fœdè laceratam, ut sui esset dissimillima? Alium non video quam ut eos faltem, qui in tantâ novorum quotidie libellorum copiâ non nisi ferè capitum initiali legunt, incertos falleret collatis utrimque damnatae propositionis, & Thesios verbis, persuaderetque omnimodam esse utriusque similitudinem. Indignatur Dominus Prior, quod hanc clientis sui fallaciam detegens, accusem perfidiae.

An

An non sufficit, inquit, particulam i*n* fine
saltem restituisse? Quid si ego te Domine
Prior accusem E. G. quod docueris *Christia-*
nos *nunquam teneri interesse facto*: Atque hic
multis in impietatem hanc tuam invehar, te-
que aperte damnati in Ecclesiâ dogmatis reum
agam, insultem tibi tanquam eversori reli-
gionis, & pietatis; sub finem verò accusa-
tionis, uno verbo obiter insinuem te exce-
pisse quidem dies Festos, & Dominicos, sed
particulam hanc quamvis duritiem proposi-
tionis universalis aliquantulum leniat, non ef-
ficere quominus propositio damnata sit, &
perniciosissima; nullum-ne tibi jus esset mo-
dum hunc criminacionis absurdissimum repre-
hendendi?

Nullam zelos nostris Archi-Episcopo re-
bellibus, de eo hic triumphandi materiam
esse, quasi Thesios ab ipso olim defensæ
doctrina esset condemnata, jam ostensum est,
in *Confutatione* autem luculentius. De Thesios
veritate aut falsitate nulla mihi fuit cum Ano-
nymo controversia, scio enim ut resolutiones
ad disputandum proponi solitæ passim in du-
biū revocari possunt, ita centenis vastissi-
marum illarum Thesium positionibus posse
contradici.

Neque nobis hic quæstio est, possit ne
M Thesis

Thesis à Sede Apostolicâ censurari, nec enim
ad eò temerarius sum, ut Jansenistarum more
Pontificiam autoritatem restrictam velim ad
sola illa dogmata ferienda, quæ præconcep-
tis à me principiis adversantur. Denique me-
re aturne propositio censuram nec ne, non
privati Theologi est in quæstionibus inter
Catholicos controversis decernere, sed solius
Sedis Apostolicæ, hanc sibi soli potestatorem
merito vendicantis.

Et sanè, si cuilibet Theologo licuerit,
alienas sententias proscindere tanquam teme-
ritatis, impietatis, aut heresios censurâ dig-
nas, vix illa tandem sententia petulantium
quorumdam obrectatorum calumnias eva-
serit. Lîs igitur inter me, & Anonymum in
eo versatur, an doctrina Thesis in propo-
sitione 58 inter 65 proscripta sit. Affirmat
Anonymus tanquam indubitatum, negavi in
Confutatione, & criminatiois falsitatem tam
manifestæ stultitiae convici, ut mirum sit re-
pertum esse Jansenistarum Priorem, quem
accusationem illam instaurare non pudeat.

Mordicus tueri vult consequentiam hanc
tanquam legitimam. Falsa, & damnata est
hæc propositio: *Nemo tenetur unquam confessario* roganti *confiteri peccati consuetudinem*: Er-
go falsa & damnata est hæc, aliqui non te-
nen-

nentur confessario roganti confueri peccati consuetudinem, illi videlicet, qui satis instructi sunt, & dispositi, ita ut peccandi occasionem proximam vietandam noverint, neque indigeant Confessarii consilio, aut monitione. Fatuam esse consequentiam ostendo, quia ex falsitate universalis negativæ minimè sequitur falsitas negativæ particularis, quandoquidem in millenis exemplis ejusdem formæ antecedens verum detur consequente falso E. G. si dicam: Falsa & heretica est hæc: nullus Apostolus est salvus ergo falsa & heretica est ista aliquis Apostolus scilicet Judas non est salvus. Imo ut antecedens apertè de fide est, ita consequens non minus apertè hæreticum.

Plura ejusmodi exempla dedi in confutatione pag. 63. Audi nunc Lector subtilem Domini Prioris responsionem. Fateor, inquit, non sequi in rigore & semper absolute ex falsitate universalis negativæ falsitatem negativæ particularis, sequi tamen infallibiliter quotiescumque ideo negativa universalis falsa est, quia contraria ejus universalis affirmativa est vera: unde si falsa est hæc: nulla peccata mortalia post baptismum commissa exponi debent in confessione, sequitur infallibiliter etiam falsam esse hanc: aliqua peccata mortalia post baptismum commis-

fa non sunt exponenda in confessione.

Non videt scilicet Dominus Prior discri-
men inter consequens, & consequentiam.
Et tamen logicum se propositetur, aitque se
juxta regulas logicæ mea sophismata diluere,
non videt se manifestè petere principium &
præcipuas logicæ regulas everttere. Hoc ho-
mo stupidus, si alicujus saltem evidentissimæ
rationis capax sit, à me breviter edocendus
est.

Quæstio Thesios in hoc versabatur, u-
trum consuetudo peccandi per se confitenda
sit, saltem roganti Confessario, sive an qui-
libet Confessario roganti teneatur exponere
peccati consuetudinem. Negabat præses cum
Illustrissimo suo olim Discipulo defendantem,
ratus tantum confitendam ab iis, qui in-
struendi sunt de vitanda occasione proxima,
& remedium sibi præstare nequeunt, sed
debent illud à Confessario expetere. Inter
me autem, & Præsidis illius Adversarios
controversia est, non de veritate, vel falsi-
tate assertionis, sed de condemnatione,
Pontificiā, an Thesim illam feriat, an non.

Adversus Præsidem sic argumentatur acu-
tus Prior: falsum est, quod aliquis bene in-
structus, & dispositus non teneatur confite-
ti peccati consuetudinem roganti Confessä-
rio;

rio; probo assumptum: falsum est, quod nullus quantumvis imperitus, & passione exacerbatus teneatur peccati consuetudinem confiteri roganti Confessario, ergo falsum est, quod aliquis etiam peritus, & quantumcumque bene dispositus non teneatur. Consequentiam negabit Praeses: Probat secundum Logicam suam singularem Dominus Prior: Ideò hæc universalis est falsa, Nullus tenetur consuetudinem Confessario roganti confiteri, quia hæc est vera: Omnis tenetur consuetudinem roganti Confessario confiteri.

Quid est petere principium si hoc non est? assumitur manifestè tanquam probatio, quæ est ipsa quæstio proposita. Eadem ratione adversus me utitur, ut quod in Confutatione negaveram, probet, ab Innocentio XI assertionem Thesios esse condamnatam, sive, quod eodem recidit, contradictorium ejus esse ab illo Pontifice definitum. Ut enim mihi persuadeat propositionem Thesios particularem negativam esse proscriptam, probat, quia contradictoria ejus universalis affirmativa est definita, quod maximè est in quæstione, sive ut per ambagem idem cum D. Priore dicam obscurius, particularem negativam esse proscriptam probatur, quia universalis negativa ideo damnata est ab Innocentio XI, quod uni-

versalis affirmativa sit ab illo definita. Cumque, scripturâ teste, stulti in circuitu ambulent, iubet etiam fatuum hunc Archi-Episcopi calumniatorem suo circulo concludere.

Undenam confidis universalem affirmativam esse ab Innocentio definitam? non aliunde quam quod universalem negativam condemnaverit. Atqui exemplis jam demonstratum est, tum hic, tum in Confutazione, & innumeris ostendi potest, neque tu ipse diffiteris non sequi absolute, & in rigore, à condemnatione propositionis universalis negativæ ad condemnationem negativæ particularis. Verum tum, inquis, sequitur à condemnatione universalis negativæ ad condemnationem negativæ particularis, quando universalis negativa ideo proscribitur, quia definitur ejus contraria affirmativa universalis. En circulum manifestum, aut nullus usquam est.

Tetricum, inquis, & importunum est, tricis Dialecticis immorari. Non inficior; alioquin ostenderem te in principias quasque Dialecticæ regulas impingere E. G. in illam quæ statuit medium in alterutra præmissarum debere distribui, uti & in illam, quæ exigit, ut non deducatur consequentia à non distributo ad distributum; sed & mihi tetri-

ticum , & importunum est , tam imperito disputatore refutando diutius occupari. Plura ad excusandam Thesim , & revincendam criminationis inceptiam videre potest Lector in *Consultatione*.

C A P U T X.

Expenditur Paragraphus 9 de Distractionibus voluntariis tempore sacri.

TRICIS Dialecticis , quibus nimium se frustà Capite superiore fatigavit , exhaustum est Adversario cerebrum , ut argumentari modò ei non lubeat , sed tantum lamentari , & queri miserabiliter de Orogæ irrisiōnibus , ejusque impietatem , uti & Archi-Episcopi nefariam collusionem , amarissimis lacrymis deploare. Apertè tamen mentiri nunquam Adversario non lubet : est enim ut alias monui mendax spiritus inter Jansenistarum proprietates , non postrema , cui proin Jansenistarum Priorem decet indulgere gnaviter , quamvis & simul pietatem , sinceritatem , simplicitatem simulare prorsus singularem. Thesis ab Anonymo , ejusque Patrono D. Pseudo-priore accusata , ita entitiat :

tat : Auditio Sacri , ut valida sit , tria requirit .
Primum est præsentia moralis audientis , quâ ex-
teriorius ita se gerat , ut dignosci possit quod inten-
tionem requisitam habeat .

Alterum intentio saltem confusa , seu offerendi
per sacerdotem , sive participandi de sacrificio :
nam sine intentione illâ , auditio actus religionis
non foret , sicut nec lectio divini officii est oratio ,
si ex intentione cum Deo agendi non procedat .

Tertium attentio interna ad intentionem illam
habendam necessaria . Hæc stare potest cum distra-
ctionibus voluntariis . Cujus ratio ibidem reddi-
tur : Nam orare Deum exponendo sua desideria ,
et que potest distractus , quam posset absolvere , sa-
crificare , Regi libellum supplicem exponere . Tum
sequitur : Non absque tamen irreverentia veniali
distractiones illæ admittuntur , cum indecens sit
primariò agentem cum Deo , ad alia simul se con-
vertere .

Thesim hanc more suo fœdè mutilatam
dederat accusator Anonymus . Perfidiam ejus
detexi in Confutatione pag . 64 . Ad hæc Patron-
nus ejus nihil respondet , eandem ipse falla-
ciam adhibere interim non ausus , novam
communisicitur . Ubi enim Anonymus tantum
dixerat juxta Autorem Thesios distractiones illas
non impedire , quo minus validè audiatur Sacrum ,
easq; tantum esse peccatum veniale , addit Do-
mi-

minus Prior non tantum illud à me adstrui, sed præterea me citrā hæsitationem idem pronuntiare de distractionibus, quæ toto tempore adeò mentem occuparent ut nulla esset de Deo, aut divinis rebus cogitatio: denique explodere me eos qui religioni sibi ducunt, ad tām augusta mysteria non attendere.

Omnia hīc fallaciis mendacissimis plena sunt. Nam neque Thesis quidquam expressit, nec ego usquam admisi, quod, qui decerneret toto sacrificii tempore mentem à divinis avertere validē audiret sacram, aut peccato solum veniali se obstringeret. Aliud Thesis non dicit, quam distractiones, quales ibi describit, quæ compatiuntur attentionem primariam ad Deum & divina, non reddere auditionem Sacri invalidam, neque admitti absque irreverentia veniali.

Monui veram fore Thesis, ut expensis ejus verbis est perspicuum, etiamsi subesseret distractionibus illis irreverentia etiam mortalis, V. G. dum quis initio Sacri statueret animo distractiones admittire toto Sacri tempore; procul dubio contineret illa volitio speciale turpidinem, quæ per distractiones inde sequentes quodammodo completeretur. Tunc addidi: secluso vero hoc turpi, & indigno decreto, quis dicet distractiones tales, quæ compatiuntur attentionem internam, & pri-

mariam ad Deum , atque ad divina mysteria , quæ peraguntur , esse peccata mortalia ? Si nihilominus afferat Adversarius , nescio an ullum Theologum habitus sit consentientem .

Distractiones ejusmodi leviores dari , quæ mentem non planè abstrahunt ab aliarum rerum meditatione , compertum omnibus est quotidiana experientia ; quis enim cum Paulo loquens audire simul & intelligere nequeat vicinum sibi Petrum quidpiam interferentem vel fortè altercantem cum Titio ?

Thesim non necessariò de aliis distractionibus accipiendam esse patet 1. Ex eo quod tantum dicatur attentio illa interna stare posse cum distractionibus voluntariis . Sic quando Jansenistæ , vel , si malis , Neo-Augustini discipuli dicunt determinationem antecedentem insuperabiliter , indeclinabiliter efficacem stare posse cum libertate ad merendum & demerendum requisita in statu naturæ lapsæ , queruntur de calumniâ , si inde inferam eos admittere quod quælibet determinatio etiam naturæ , & coactionis insuperabiliter , indeclinabiliter efficax stare possit cum libertate ad merendum , & demerendum in statu naturæ lapsæ requisitâ .

Patet 2. ex eo quod Thesis disertissimè profiteatur se non agere de aliis distractionibus ,
quam

quam quæ relinquant moralem presentiam, intentionem saliem confusam simul offerendi per sacerdotem, sive participandi de sacrificio, ita ut distractus simul habeat attentionem internam quâ primario agit cum Deo, quamvis simul mentem convertat ad alia. Unde de ejusmodi distractionibus tantum sermo est, quæ attentio nem ad divina non tollunt, sed imminuunt, juxta illud.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Hinc concludo evidenter, ineptissimam esse obrectatoris nostri calumniam, dum Illustrissimo Archi-Episcopo, & mihi imponit, quod docuerimus populum Christianum, non valde sollicitè cayndam esse negligentiam in divinis officiis, modò quis honoret Deum labiis, eum adorari saltem valide in Mysteriorum omnium sacratissimo, quamvis adfis sine attentione. Quasi verò prima ria attentio ad Deum, ut adfuit Thesis, & nulla attentio idem int. Idem tamen sunt Pseudo-priori ut Archi-Episcopum me que criminetur apud rude vulgus, quod nec Illustrissimi Thesim nec meam adversus Anonymum Confutationem, utpote latinam intel ligit.

Audi nunc Lector impudentissimi hujus calumniatoris gemitus, qui nescio an indignatione potius, quam risu digni sint. "Non-

nc

„ne peracerbum est , inquit , intueri quòd
 „tam scandalosa , tam perniciofa dogmata
 „reperiant Theologos adeò ignavos , & adu-
 „latores , ut ab eis suscipiantur propugnan-
 „da ? Quòd Archi-Episcopus ea sub suis
 „auspiciis vindicari patiatur , qui ea de-
 „beret detestari , imò suffundi rubore
 „quòd ea umquam defendent ? Hoccine est
 „quod populum Christianum oportuit edo-
 „ceri ?

„Non nisi scintillâ pietatis opus est , ut
 „quis perspiciat , non esse inanem scrupulum ,
 „quo quis religioni sibi ducat intereste Sacro
 „absque attentione , animo voluntariè ad alia
 „divagante .”

Non minus flebilia sunt cetera , vel po-
 tiùs ridicula . Risum tamen hic molestissime
 fert Dominus Prior . ” Quamtuilibet (in-
 „quit) parum quis intelligat , satis videt ,
 „quod insultare iis , qui teneræ satis con-
 „scientiæ sunt , ut non audeant tempus sacri
 „distractionibus voluntariis transigere , sit
 „triumphos decernere impietati .”

Quis non dicat hominem insanire , vel
 nimia calumniandi libidine excæcatum ? U-
 binam enim umquam indicavi distractiones
 voluntarias esse licitas ? Ubi id docet Autor
 Thesis aut Illustrissimus Defensor ? Op-
 po-

positum uterque profitetur apertissimè. Ubinam insultavi iis, ubi eos explosi, qui Religioni sibi ducunt tempus sacri cogitationibus terere, à Deo, & tremendo illo sacrificio alienis. Putas-ne stolide Accusator nos lamentis tuis, & exclamationibus fascinados, ut criminatio[n]is tuæ vanitatem, ac falsitatem adeò patentem perspicere, eamque redarguere nequeamus? Jansenianæ querelæ non magis me commovent, quam meretriciæ. Rationibus, Domine Prior, vel Autoritate pugnandum Theologo est, non ignorâ ploratione.

Age arguimento saltem aliquo Thesim Illustrissimi, aut meam obrectatoris Anonymi Confutationem impugna. Ostendo, non quod distractiones voluntariae sint peccata: hoc enim nullus negaverit, sed quod distractiones, quales describuntur in Thesi, & ut eas verbis ipsis Thesios jam exposui, sint peccata mortalia, & auditionem sacri reddant invalidam.

Aliam probationem toto § non video, quam tria Scripturæ testimonia. 1. Ex Ieremia 48: *Maledictus qui facit opus Deifraudulenter*, vel ut septuaginta legunt *negligenter*. 2. Ex Psalmo 108: *Cratio ejus fiat in peccatum*. 3. Ex Matth. 7. *Populus hic labiis*

N

me

me honorat ; cor autem eorum longè est à me.

Admitto Domine Prior , & pronus ve-
neror Sacrarum Scripturarum oracula , sed
ad criminationem tuam stabiendam tam pa-
tum conducunt , quām quōd minime .

Nam Jeremiæ 48 vibratur maledictio in
Milites Populi Judaici , qui satis consciū,
quōd Deus præcepisset , ut Moabitas om-
nes interficerent , à cæde nihilominus ab-
stinebant , contenti spoliis , & tacitâ vitæ re-
demptione. Merito Milites isti maledicto sub-
jiciebantur , quia tam expresso Dei Mandato ,
& in materia tam gravi rebelles. Inferentes
inde ; ergo maledicto æquè subjecti , & æqualis
criminis reisunt , quicumque tempore faci-
ficii cogitationibus alio pertinentibus inten-
dunt , ita tamen , ut primariam semper ad
Deum retineant attentionem? Sed ut concesse-
ro servatâ materiæ , ac delicti proportione ,
accommodari locum posse iis ; qui negli-
genter orant , aut quodcumque opus Reli-
gionis obeunt non quâ par est reverentiâ ,
& attentione , sine zelo , ac fervore ; illos
ne omnes statim peccati mortalis argues ?
Omnes in oratione distractiones volunta-
rias , omnem torporem , & oscitantiam ad
gravissimi criminis reatum extollere , si quis
Novatorum tuorum præsumpserit , sibilo ex-
cipie-

cipietur , si non temeritatis , & gravioris cen-
suræ infamia notandus sit.

Secundus locus Psalmi 103 agit vel de
persecutoribus Davidis , quibus ipse , con-
formans se divino judicio pœnas debitas , vel
imprecatur , vel prædictit , sive , ut commu-
niter cum Bellarmino Interpretes intelligunt ,
imprecatur Christus , vel prædictit Judæ in-
teritum. Cur autem oratio Judæ facta est
ei in peccatum juxta Communiorem Pa-
trum Interpretationem ? An quia distractus
fuit in oratione ?

Audi Patres apud Bellarminum in hunc
Psalmi locum. S. Hieronymus ait , quia or-
avit sine spe indulgentiæ , & desperans la-
queo se suspendit. S. Augustinus dicit ora-
tionem ei factam esse in peccatum , quia
non est facta per Christum Mediatorem. Eu-
thymius addit factam esse in peccatum , quia
Judas ut ceteri Persecutores orabant Deum
pro exterminatione nominis Christiani.

Fateor equidem orationem torpidam , &
negligentem fieri homini in peccatum , sed
ideone semper mortale ? Quodnam igitur
tandem veniale erit , si quælibet in oratio-
ne distractio culpabilis , seu voluntaria mor-
talis sit ?

Tertium testimonium decerptum ex Marci 7. ubi Christus non de distractionibus specialiter agit, sed de omnibus Judæorum criminibus. Quasi dicat : exprobratis mihi quod Discipuli mei manducant illotis manibus ; ego verò dico vobis, quod prædixit Isaïas, vitam vestram penè universam maximè esse maculatam . ita ut tantum circumfervis inarem sanctitatis speciem , quasi Deo religiosè serviatis , qui estis pleni hypocriti : de divinis mandatis loquimini admodum scrupulosè , qui nihil minus reipsâ , & ope re præstatis. Hæc Christi verba potius in Novatores , etiam nostri temporis Rigoristas , Jansenianos , Archi-Episcopi Obtreccatores , quam in involuntariè distractos vibrata à Christo esse , facile assequetur , qui & Scripturæ textum consideraverit , & mores Jansenizantium.

Satisne partes explevisti Patroni fidelis , & strenui , quando lamentis aliquamdiu muliebriter indulxisti , verbis quibusdam Scripturæ temerè congestis , ex quibus nihil posse pro criminatione Clientis tui confirmandum extundi satis prospexeras ? An non oportuit opposita à me argumenta refutare ? Atqui ne ad unum quidem respondes , nullum leviter saltem attingis , & tamen me tan-

quam totius orbis Christiani judicio damnatum proclamans, tantum scintillam lumenis (credo Janseniani) requiris, ut quis me impietatis propugnatorem esse videat, tantum scintillam pietatis, ut me Religionis hostem horreat, ac detestetur. Verum ex iis quæ nuper adversus Arnaldi querelas scripta sunt, didici, nusquam Arnaldum, ejusque discipulos altius clamare, nusquam queri miserabilius, quam ubi causæ pessimæ patrocinium suscipiunt, vel justissimæ impugnationem, quando destituti sunt omni ratione solidâ, omni autoritate, imò argumentis insuperabilibus manifestè convicti.

En tibi Domine compendio repetita argumenta *Confutationis* quæ dissolvi à te potius decuit quam tempus, & verba perdi querelis, & exclamationibus.

Primò: cum hujusmodi distractionibus quæ primariam ad Deum, & divina mysteria attentionem compatiuntur, ut sunt distractiones illæ leviores, de quibus expressis terminis agit Thesis, consistere potest consecratio valida, aliorumque Sacramentorum administratio, ergo & valida sacri auditio.

Secundò: cum hujusmodi distractionibus involuntariis consistit valida sacri auditio ergo & cum voluntariis. Nam licet ratio vo-

Iuntarii has peccaminosas constituant, illas ratio
involuntarii innocias; si tamen distractio
nes voluntariae de quibus Thesis, non pate
rentur attentionem requisitam ad moralem,
& validam sacri auditionem, idem statuen
dum esset de involuntariis: quemadmodum,
si quis casu, vel ex nimis vigiliis, certe ci
trà ullam culpam in somnum incidat tem
pore sacrificii, cui corpore præsens est, non
audit sacram, sed tenetur alteri interessere, & que
ac ille, qui ad somnum voluntarie se, & cul
pabiliter composuit.

Hinc sequitur tertio, quod nisi ejusmodi
distractio[n]es, quæ primariam ad Deum at
tentionem habent conjunctam, consistant
cum valida sacri audizione, non consistent
etiam cum valida recitatione Officii Canonici,
sive supponantur distractio[n]es esse voluntate
connivente, vel contra ejus imperium exor
tae, adeoque sequetur toties repetendam esse
officii recitationem, eâ saltim parte quâ di
stractio qualiscumque, & quantumcumque le
vis irrepserit, alioquin peccari toties, & à
beneficiatis restitutionem fructuum illi parti
respondentium præstandam.

Quæsivi in confutatione an hæc conse
fraria Novatoribus nostris rigidis & zelosis
allubescant: nihil responsi accipio præter que
relas

reles inanes, quibus conscientię sua teneritudinem à me irrideri, & exponi iudicio, infames Archi-Episcopi calumniatores deplorant.

Denique rogavi an vel unum Anonymus Theologum possit producere, qui doceret distinctiones jam descriptas esse peccata mortalia. Nullum habuit ipse, nullum ejus patronus, quem ostentaret: & tamen in nos ut monstra impietatis pergit debacchari non minus expers rationis, quam omni nudus auctoritate. Ad teneritudinem conscientiae, quam in cliente suo aliisque gregalibus praedicat, quae respondeam occurruunt satis multa, sed nescio an satis placitura Neo-Augustinianis si divulgarem.

Oro te Domine Prior, atque obtestor, ut dum tuorum pietatem, religionem, & conscientiae teneritudinem praedicas tam magnifice, abstineas ab affingenda atque exprobanda Illustrissimo Archi-Episcopo, & mihi impietatis defensione, aut saltem veniam mihi à tuis impetres scribendi Tractatum breuem de teneritudine conscientiae Neo-Augustinianae, nam alioquin homines illi, licet charitatis ubique prae dominantis praecones, adeo sunt delicati, ut mox in rabiem agantur, omnia minis & querelis impleant, sic
ubi

ubi eos nescio quæ vocula non satis mollis
perstrinxerit.

C A P U T X I .

*Expenditur Paragraphus 10. de ju-
ramento & perjurio ex consue-
tudine sine ulla plane
advertentia.*

Mox ut oculos conjeci in præsentem
adversarii paragraphum sex paginis ex-
tensem , non dubitabam quin post incondi-
tam superioris §. lamentationem jam animos
resumpsisset malæ causæ patronus , & pro-
lixam de accusatâ hic Thesi instituisset dis-
putationem. Verum ubi paginas omnes
evolvo attentiùs , vix quidquam offendit præ-
ter declamationem in nescio quem P. Pirot
Jesuitam , aliosque ejusdem ordinis Theo-
logos , de vagâ in moralibus laxitate accu-
satos.

Multum queritur de Jansenistæ nomine
suis impacto , dum ipse Pelagianam hæresim
aliaque convicia in adversarios suos conjicit
tam liberaliter , & sine scrupulo , homo alio-
quin , ut Novatores passim , scrupulosus in
parte

paucis. Debuit hic quoque fallaciis quibusdam & mendaciis locus esse more Janseniano. Ubi enim sic Thesim retuleram fidelissime in Confutatioue Anonymi pag. 68. consuetudo planè inadvertenter jurandi, & pejerandi, sicut facit ebrietas, à juramento & perjurio aufert rationem humanæ locutionis, adeoq; peccati etiam materialis: ordinariè tamen confitenda est, eò quòd sèpe advertentia, aut scandalum interveniat, non nisi malitiosissimè truncatam Adversarius exhibet his verbis: *Consuetudo planè inadvertenter jurandi, & pejerandi à juramento, & perjurio aufert rationem humanæ locutionis, adeoque peccati, etiam materialis.* Thesim sic à me referri mentitur Jansenianus Prior in limine paragraphi. Confidentialm hominis, & impudentiam mirare lector. Quis enim discriminem relationis utriusque manifestum non perspiciat? Ubinam cù illud propositionis duritiem non parum emolliens: *Ordinariè tamen confitenda est, eò quòd sèpe advertentia aut scandalum interveniat?* Ubinam est illud, sicut facit ebrietas?

Verùm hæc particula nimis clare exprimebat mentem præsidis non de quâcumque inadvertentiâ; sed tali, qualis est in eo qui præ nimio potu sensibus destitutus est. Cur saltem punctis aliquot interpositis non indicavit.

cavit se quædam prætermittere? Nimia hæc fuisset accuratio, perfidia autem non satis magna.

Anonymus Prioris cliens præter jam relata omiserat particulam planè; & ausert rationem humanae locutionis. Quo id consilio factum, non multà divinatione opus est. Ut scilicet juramenta illa, & perjuria, quæ ab Autore Thesum negantur esse peccata, non planè inadvertenter proferri crederetur, & consequentia inde absurdissima, quæ alias non possent, dolosè elicerentur. Clientem suum ab omni calumniæ specie facile expediri existimat Dominus Prior, dicendo non potuisse phrasi gallicâ nitidiore, & fideliore sensum Thesios declarari. Gallum ego me, non profiteor, non video tamen quid vitii passa fuisset constructio si dixisset par une ENTIERE inadvertence, vel sans qu'on s'en apperçoive AUCUNEMENT.

Quām multa dicimus nos agere inadvertenter, ubi reverà non omnis omnino advertentiæ, sed intensæ tantum, vel ordinariæ absentiam volumus indicari. Omnem verò inadvertientiam, etiam tenuissimam removemus, dum nos quidpiam planè inadvertenter egisse, vel passos esse pronuntiamus. In hoc autem maximè stuporem tuum, vel cæxitatem prodit Domine Prior, cùm pag.
51^a

Si. supponis quòd juramenta, perjuria, blasphemiae, quæ passim à libertinis, & impiis effutiuntur, omni prorsus, etiam tenuissimâ advertentiâ destituantur.

Eâdem pag. pro totius accusationis tuæ probatione, ais sufficere nudam Thesios seu terminorum propositionem, ut omnibus in Jesu Christi scholâ institutis horrorem incutiat. Scimus quæ vobis sit schola Christi; procul dubio est Lovanii Gummariana novum nocta hypodidascalum Joannem Opstratum, cui idem in promptu est principium ad convellenda Scholasticorum dogmata expeditissimum. Afferendum tantum tono, & autoritate magistrali, sententias Scholasticorum quantumvis in Ecclesiâ receptas, communissimam Confessiorum praxim in administratione Sacramentorum toto Christiano orbe præterquam apud paucos Lovanienses, & Gallos aliquot admissam, & probatam, esse abusum noxiū, non tolerandum, sed execrabilem, imò tam receptas sententias, praxim tam usitatam retulisse, inquit, refutasse est.

Cur saltem argumenta importunis Anonymi censuris à me objecta non dissolvisti? Minùs scilicet facile tibi videbatur rationibus contendere, quàm invectivis, & nudis crimi-

na-

nationibus. En igitur tibi iterum argumenta
mea in Confutatione proposita.

1. Nusquam damnata est, neque absurditatis
convincitur sententia, sed apud Theologos probos juxta, ac eruditos passim recepta
est, quod ubi nulla planè est advertentia, etiam nullum planè sit in actu peccatum.
Atqui in actibus de quibus agit Thes. nulla
planè est advertentia ex supposito, alioquin
mutatur status questionis, ergo eatenus nulla
est absurditas in Thesi quatenus negat ejus-
modi actibus inesse rationem peccati.

2. Quæ committuntur in perfectâ sive sim-
pliciter, & propriè dictâ ebrietate non sunt
peccata nova & distincta à peccato, quo ebrie-
tatem quis contraxerat, nam juxta S. Augu-
stinum l. 22. contra Faustum cap. 44. Lothi
puniendus fuit quantum merebatur ebrietas
utcumque ipsi voluntaria, & peccaminosa,
non verò propter incestum ab inscio in ebrie-
tate commissum. Saltem hæc sententia non
est proclamanda ut impia, ut hæretica, ne-
que aliis notanda censuris, ut fatentur com-
muniter etiam illi, qui sententiam tuentur op-
positam, Atqui de tali inadvertentia, ut ex-
pressa in Thesi comparatio indicat, tantum
agitur, de hac asseritur quod excusat à pec-
cato formalí novo; ergo.

3. Q^u

3. Qui non sine culpâ suâ in amentiam & furorem actus est , si planè impos mentis aliquem occidat , peccavit quidem , in amentiam & furorem se conjiciendo , homicidium tamen juxta Innocentium V. ex S. Dominici Familia Romanum Pontifice in 2. distinc.

22. q. 22. q. 2. art. 3. non est peccatum novum. Ergo similiter licet quis peccaverit graviter , consuetudinem jurandi , & pejerandi contrahendo , eâ tamen jam contractâ si contingat illum verbum aliquod juramenti , vel perjurii sine ullâ plane advertentia sicut in ebrietate effutire , non videtur peccatum novum ; alioquin quisquis in amentiam inciderit culpâ suâ E. G. ex nimia tristitia ob amissâ bona temporalia , vel ex inani gloriâ vel amore sensuali , peccaret toties peccato novo in amentia , quoties non implet præceptum aliquod Ecclesiasticum , divinum positivum , vel naturale , atqui de tali inadvertentiâ agit Thesis ergo.

Plura argumenta formare non esset difficultè , si de una quæstione Tractatus mihi scribendus foret , & non multa strictim delibanda.

Gravior Adversarii , sed mendacissima de me querela est , quòd omnes Thesi contradicentes vocem Jansenistas : & manifestè hæ-

reticos. Nusquam inferior sententia Thesios contradici posse Catholicè. Aliud non dico, quām pag. 70 sententiam, quæ ad peccatum hīc, & nunc destinatum, & novum statuit sufficere libertatem diu præteritam, esse magis conformem principiis Jansenii, oppositam communiter magis placere Catholicis; Hocine est sententiam Adversariorum censurare ut manifestè hæreticam?

Pag. 69 dico eos, qui omnia juramenta, & perjuria, quæ planè inadvertenter excidunt, statuunt esse peccata formalia, nova, & distincta, non satisfacere Constitutionibus Apostolicis contra Jansenium. An hoc idem tibi sonat, quod esse manifestè hereticum? Quoties Theologi sententias suas, etiam quas tuentur tantum ut probabiliores, non probant sacrarum paginarum testimoniiis, & contendunt Adversarios suos non posse testimoniiis istis facere satis, non posse ea satis in Adversariorum sententia explicari? Ideone quisquam queratur, proscindi se ut manifestè hæreticum? Ut quis hæreticus censetur, debet fidem negare revelationi clarè propositæ, ut omnibus Theologis etiam Theologiæ Tironibus, præterquam stolidissimo Anti-Monachorum Priori, est notissimum.

Cur

Cur non ostendit sententiam suam nihil habere cum propositione 3 Janseniana commune? Communionem ego aliquam sic apprehendo: quid si aliquis de hac à se contracta jurandi, & pejerandi consuetudine feriò doleat, eam detestetur, & contritione perfectâ, vel Sacramento pœnitentiæ se Dcō reconciliet? Non propterea statim pravi habitus extirpantur, actibus tam frequentibus acquisiti. Quid ergo? An juramenta, & perjuria, quæ forte prorumpent subinde sine ullâ prorsus advertentiâ, dicentur peccata nova & formalia? Ubinam hic reperies libertatem à necessitate ad demeritum requisitam? Voluntas mala quâ quis consuetudinem liberè sibi comparavit, cum jam supponatur legitime retractata, hos actus inficere non potest.

Retractare autem, & pro viribus corrigere pravam consuetudinem quivis tenetur. Sine negligat, reus quidem est omnium pravorum effectuum quos ex cå oriri contigerit, & oportuisset prævidere; Verum sintne effectus illi singuli, qui Thesi ex primuntur peccata nova, an potius horum malitiam omnem contineat peccatum prius, seu negligentia, talium effectuum causa, utrumque disputatur acriter inter Autores magni nominis; neque

O 2. mul-

multum refert ad mores , quamcumque sententiam fueris amplexus , ut patet . Sicut in morali hominum estimatione , & ad usus humanos , vel parum admodum , vel nihil omnino refert , sive alicui octo solidos numeres , sive nummum unicum , pataconem tradas , octo solidis distinctis æquivalentein .

Supereft crimen gravissimum à Thesi repellendum de peccato materiali , quod actibus hujusmodi planè indeliberatis inesse non admittit . Verum quando ostensæ sunt tanti momenti rationes , quæ probent locutiones illas non esse peccata formalia , scilicet nova , de quibus solis in Thesi agitur , quid pertinet magnopere ad mores , sive ea peccata vocaveris materialia , sive hæc etiam negaveris ? In peccato merè materiali nulla impietas est , nulla supremi numinis offensa ; per hæc religio non evertitur , non corrumpuntur formaliter mores fidelium : adeoque corrunt quæcumque invidiosissima ex Thesi consectaria deduxeras .

Absurdum equidem , aīs , est inficiari ejusmodi locutiones esse peccata faltem materialia . Cur itaque non decernis quid per peccatum materiale intelligas , quid ad illud requiras , quid statuas sufficere ? Requirit Autor Thesium actum humanum , atqui verbum
quod

quod alicui sine ullâ planè advertentiâ excidit
non est actus humanus : ergo. Nisi fortè actus
humanos vocaveris , quidquid ebrio , quid-
quid dormienti elabitur , quid ni etiam actus
brutorum V. G. locutionem psittaci , actio-
nes humanas appellaveris , & peccata maté-
rialia? Nisi fortè quòd non procedant ab ho-
mene. Hoccine est actionem apud Theolo-
gos humanam esse?

A Thesi divertis ad hæresim ut vocas ,
Jesuitarum de peccato Philosophico. Hanc
ais ab illis etiamnum disseminari. Respondeo
brevissimè , Pontificem errorem illum in
fuo Decreto non declarare hæreticum 2. men-
daciūm esse , & calumniam execrabilem , quā
impudentissimè Societati crimen imponis cu-
jus nullam probationem exhibes , neque un-
quam reperies. 3. In nullius Jesuitæ sensu
damnatam esse propositionem de peccato Phi-
losophico sed tantum prout in Thesi impru-
denter , temerè & scandalosè fuerat expressa.

De doctrinâ denuntiatoris , quem Arnal-
dum esse constat , uti & securacium ejus quæ-
dam tum à me , tuum ab aliis tradita sunt
alibi , nec deerit deinceps mihi vel aliis , ut
spero , de cā paulò copiosius agendi oppor-
tunitas.

C A P U T X I I.

*Expenditur Paragraphus XI de comparatione inter sententias Illusterrissimi Archi-Episcopi,
Novatorum.*

Illustrior titulus est Paragraphi XI quām
ut non referatur à me integer. Sic habet:
*Clarissimè demonstratum est, quod Archi-Episcopus
eiusq; Apologista defenderint, & defendant etiam
nunc pertinaciter complures propositiones, quas Inno-
centius XI declaravit pernicioſas, & ut tales con-
demnavit. Verū ostendi non potest quod ii qui vo-
cantur Jansenistæ sustineant ullum dogma ab Inno-
centio X profigatum.*

Quām clare te de inceptiis & mendaciis
ubique convicerim ostendunt ea, quæ in cri-
minatione tuâ, si quæ usquam fuit, stultissimâ
detexi. Ut nullam umquam sententiam tra-
didi, nullam defendi, quæ vel antè, vel
postmodum displicerit Ecclesiæ, ita men-
daciū est Jansenistarum Priore dignum, esse
me in condemnatis opinionibus retinend s
pertinacem.

Quānam verò est ea pertinacia Archi-
Epis-

Episcopi? Ubi eam unquam prodidit? Ubi-
nam saltem in virili aetate approbavit omnes:
Thesios propositiones, quas in adolescentia
Præside R. P. Ludovico de Scildere propu-
gnayerat? Bullas omnes Pontificias, omnia
etiam Romanæ Inquisitionis Decreta vene-
ratur, amplectitur, observat religiosissime.
Provoco adversarios omnes, ut vel unius
proferant adversus Archi-Episcopum testi-
monium, quo eum probent vel verbum un-
quam protulisse, vel scripsisse adversus Sedis
Apostolicæ autoritatem, aut Decretorum,
definitionumve reverentiam. Si ne unius qui-
dem testimonium proferre possint, ut revera
hactenus non potuere, necesse est infamem
hunc Archi-Episcopi calumniatorem retrah-
ere publicè calumniam, vel totius orbis
Christiani judicio condemnari.

Postulas ut vel unus tibi nominetur Theo-
logus Jansenistæ nomine appellatus, qui ul-
lum dogma ab Innocentio X proscriptum
tueatur.

Non parum hic remittis Domine Prior de
insolenti clientis tui provocatione & insanis-
simâ jactantiâ. Rogabat ut vel unus sibi Neo-
Augustinianus, vulgo Jansenista exhiberetur in
Diœcesi Mechliniensi, qui vel unam positio-
nem docuisset à Sede Apostolicâ debellatam.

Hanc

Hanc clientis tui temeritatem tum à me, tu
ab aliis nimis evidenter convictam conspica-
tus, ad solum Innocentium X provocatio-
nem restringis.

Verum neque Innocentii X anathema effu-
giunt Pseudo-Augustiniani, qui propositio-
nes s. famosas, quas Innocentius tanquam
Cornelii Jansenii doctrinam proscriptis, co-
dem, quo Jansenius, sensu propugnant, ut
Palladius, Steyartii Antagonista, D. Egidius
de Witte, Frater Eugenius, Lucas Vero-
nensis Lovanii Baccalaureus, Franciscus Man-
seau, & ne longius abeam, tu ipse Do-
mine Prior, qui universam Jansenii doctri-
nam tam diserte profiteris Augustinianam esse,
Catholicam, nec nisi imperitorum iudicio
condemnabilem.

Superas tamen clientem tuum impudentiam,
dum negas ullum unquam eujuscumque Diœ-
cesios, sive Regionis, qui Jansenistæ nomine
appellari solet, ullum dogma ab Innocentio
X. damnatum defendisse.

Quidnam igitur defendit Arnaldus geminâ
suâ pro Jansenio Apologiâ? Quid defende-
runt Janseniani illi deputati, qui è Gallia R.
omanâ à Jansenianâ factione sub Innocentio X.
missi sunt ad avertendum à quinque propo-
sitionibus anathema? Quid defenderunt illi
quo-

quorum nomine apud Pontificem, & Cardinales tanto studio, tantâ contentione, tam
mensibus egerunt. Quid defenderunt trecenti
Religiosi, quorum è Belgio suffragia pro
universâ Jansenii doctrinâ vindicandâ Romam
detulit R. Adm. P. Provincialis N.? Quid
defenderunt plurimi, imò si Illustrissimo Ja-
cobo Boonen Mechliniensium Archi-Epif-
copo, ejusque Coëpiscopo Gandensi credi-
tur, plerique illarum Dicecesium Viri Eru-
diti, qui Episcopos illos ad reluctandum Se-
dis Apostolicæ constitutioni ausu nefario, &
scandalosissimo exemplo compulerunt? Quid
defendunt tot Jansenianorum operum Auto-
res Anonymi, quid nupero Regis Galliæ
Decreto Duaceni exules?

Vociferari equidem pergis Jansenismum
esse merum phantasma, quin &c, si alias per-
suasum habuisses rei aliquid subesse, fuisse
unquam hærcsi Jansenianâ infectos, lectâ ta-
men *Confutatione* meâ & præsertim *Responsione*
ad ineptam Anonymi comparationem inter Doctrinam
Illustrissimi & Novatorum, lectis libellis
Erasmi pilii, *speciminibus*, &c. ais te prorsus
convincendum, quod nullus unquam Janse-
nistा fuerit in rerum naturâ,

Multum igitur nobis debet Neo-Augu-
stiniana factio, plurimum Gummarus tuus,
qui

qui ut se Catholicum probet , certè non Jansenianum , tantùm debet ab opusculis nostris quæ ad te convincendum tam fuere efficacia , argumentum desumere . Spes certa est , fore ut à Pontifice , & Rege Catholico , Cathedræ Theologicæ , & strictioris Facultatis Collegio restituatur ; si tamen unquam legitime electus est , & non fraude Pseudo-Augustinianorum intrusus.

Miror libellos istos nondum à novis Augustini Discipulis donari editione alterâ , ut distractis quaquaversum exemplaribus , quod hactenus suâ Arnaldus eloquentiâ , quod iteratis toties protestationibus Lovanienses non potuere , argumentis nunc Adversariorum se probè Catholicos demonstrent.

Cur Dominus de Swaen , & Dominus Melis tam acerbè de opusculis meis queruntur , quod illis proscindantur tamquam de Jansenismo suspecti , si non alio possit argu- mento ostendi evidentiùs , quàm , quod ex meis aliorumque Anti-Jansenistarum libellis desumitur , nullum esse , nec fuisse unquam Jansenianum . Pessimè sibi consuluit par illud nobile , dum libellis supplicibus , tum apud Regium Brabantiae Senatum , tum apud Universitatis Lovaniensis supremum Moderatorem , opusculorum meorum prohibitio- nem

uem postulavit ; felix tamen repulsā sua ,
cum præcipuas alioquin apologetas ad se ,
suosque alumnos , & Missionarios Hollan-
diæ , imò , & confederatos omnes , à Jan-
senismi suspicione liberandos efficacissimas ,
imprudentiâ suâ , & damno irreparabili per-
didissent . Ad hoc non attenderunt , viri illi
irâ nimis præcipiti circumcursantes domos ,
& Tribunalia frustrâ fatigantes . Si te con-
suluisserint Domine Prior , scripta mea potius
apud Illustrissimum Belgii Internuntium , a-
liosque tum Ecclesiasticos , tum sœculares Prin-
cipes , in sui defensionem attulissent .

Nescio an serio dixeris me librum compo-
suisse sub hoc titulo *Responsio ad ineptam An-
onymi comparationem inter doctrinam Illustrissimi ,
& Novatorum* , sic brevem Appendicem , quam
Confutationis libello annexueram , librum
vocas . An fortè tibi Appendix brevitas lu-
dibrio est ? Fateor me Arnaldi Scholam non
frequentasse . Illic didicissem artem vera fal-
sis amplificandi , & unius propositionis de-
nuntiationi impendendi opuscula complura .
Verùm tam pauca ex multis ad reprimendam
Anonymi jactantiam à me prolata , quām
ægrè habuerint Augustini Discipulos , satis
Lovanii notum est , & Bruxellis .

Quid me facturi fuissent si pro Appen-

ee perbrevi, librum illis prolixum objecissem, universæ Doctrinæ, & praeceos Neo-Augustinianæ accusationibus refertum? Ubi tamen factionis vestræ Duces à me plura postulaverint, ut nihil mihi gratius accidere potest, quam viris illis justa exigentibus, ubique morem gerere, ita neque illud qualemque Theologi Catholici, & de hæreticorum conversione ex instituto perquam solliciti officium patiar frustrà desiderari.

C A P U T X I I I.

Expenditur Paragraphus 12 de Palladio Jansenista.

Sensus Palladii, inquis, est maximè Catholicus. Ego verò censeo esse aperte Jansenianum, & hæreticum. Quemadmodum cum Thomistam vocamus, Scotistam, vel Molinistam, qui V.G, Scotti, vel Molinæ placita tuetur, ac profitetur, sic procul dubio Jansenianus est, qui Janseniana studiosè defendit: Hanc Jansenistæ descriptionem, dederat Steyartius, neque ullus sanæ mentis eam potest rejicere. Secundùm hanc, se, siusque Cominilitones, Jansenistas esse disertè affirmat, & gloriatur Palladius. Cur hoc

hoc D. Prior , omisisti tam clare à me expressum pag. 78 verbis fidelissimè ex Palla - dio citatis ? Et tamen miraris eum à me inter Jansenistas collocari . Potestne manife - festiori indicio probari aliquem Pelagianum esse , vel Lutheranum , quam si cum universa Pelagii , aut Lutheri dogmata profitentem exhibuero ? Quid igitur ad Jansenistæ no - menclationem amplius requiras ?

Jansenista , inquies , *hominem* , significat *exoticum* , & non *sane fidei* , ut observavit Palladius . Hoc sensu Jansenistas vos esse per - negatis . Quasi verò post tam solennes Ro - manorum Pontificum Constitutiones ab Ec - clesia receptas , post iteratas toties defini - tiones non desinat Theologus esse *sane fidei* , & incipiat esse , ut minimum *exoticus* , & aliquid amplius , qui Jansenii doctrinam sine ulla limitatione amplectitur , & sèpiùs monitus tueri pergit nihilominus pertinaci - ter .

Citaveram Palladium Disquisitionis pag . 2 dicentem : *Nihil sensit reipsa Jansenius nisi , quod Ecclesia , & summus Pontifex indemnatum , & nullâ affectum notâ quotidiè testantur . An id dannat Pontif. x quod quotidie probat ? Rogabam an non id optimè congrueret cum eo quod ait Arnaldus in præfatione prioris suæ pro*

P Jan-

Jansenio Apologia? Bulla Pontificia propter falsas apud Ponificem institutas accusationes, quod liber Jansenii scandalo esset Catholicis, ejus retuit lectionem. Ibidem: doctrina Illustrissimi Irenensis non est nisi doctrina S. Augustini.

Quid ad hæc Dominus Prior? Si hoc, inquit pag. 59. est Jansenizare, ut contendit Oropega, facile ei concedimus, quod Jansenismus plus rei habeat, quam existimetur quodque tot sere sint Jansenistæ, quot S. Augustinum unquam legere, & studuere Jansenio. Paucissimi sunt, qui norunt, quid doceat S. Augustinus, & inspexerent librum Jansenii, quibus perspicuum non sit, eadem sentire, eadem loqui Auguſtinum Irenensem, quo Hippomenem.

Non aliud ego Jansenistæ nomine intellexeram, non alio sensu Arnaldum, & Lovanienses aliquos vocaveram Jansenistas. Hoc sensu nos docet Dominus Prior plures esse Jansenistas, quam mihi persuaserim, & tamen non aliam ob causam D. de Swaen, & D. Melis tantâ in me irâ commotî sunt, tam graviter questi Amplissimo D. du Bois, imo partem Belgii non minimam querelis suis impleverunt adeò ut & Gazulis Irenibus præbucrint materiam.

Pergit D. Prior pag. cit: Si hoc, inquit, est in quo Oropega Palladii, Arnaldi, aliorumque Jan-

Jansenistarum heresim collocat, necesse est Orationem ipsum esse vel hereticum, vel insanum. Quod ne temerè ab Adversario dictum putas, probat, quia hereticum est asserere tanquam fidei dogma, quod Docetina Jansenii alia sit, quam S. Augustini; insanum autem est, sibi persuadere quod quis hereticus esse possit propterea quod non credat illud ad quod credendum non obstringimur. Sic nempe omnes Anti-Jansenistæ Episcopi, Cardinales, Romani Pontifices, & ceteri celeberrimi Academiis Ecclesia universa, cum Jansenianum sensum damnant ut hereticum, hoc ipso vel heretici sunt, vel insani.

Pag. 60. Jansenii defensores comparas cum defensoribus Honorii Pontificis, & Joachim Abbatis. Verum disparitas satis palpabilis est quod Honorium tanquam verè & propriè hereticum à Synodo & damnatum fuisse negent plurimi, qui vel actorum fidem in dubium vocant, vel ideò tantum cum hereticis excommunicatum asserunt quod heresim Monothelitarum, quam pro imposito sibi summi Pastoris officio extinguere debuerat, negligendo, & dissimulando foverit.

Alii qui Honorium tanquam hereticum à Synodo condemnatum fuisse agnoscunt, atque in hoc iudicio Concilii Patres erravisse,

aiunt Patribus illis Græcis obtrusas fuisse Epistolas Honorii, non ut ab eo conscriptæ fuerant Latine, sed ut in Græcum idioma ab Honorii æmulis perfidâ fuerant conversione depravatæ. Denique nullum fidei dogma definitione illa Concilii condebatur, neque de quæstione fidei ulla erat disceptatio, cum jam ante Monothelitismus satis dilucidè ab Ecclesiâ fuisse proscriptus, sed de persona tantum damnandâ vel absolvendâ agebatur. Hæc procul dubio facti quæstio est, in quâ Pontifices, & Concilia, cum juxta testimonia errori, & fraudi obnoxia procedant humano modo, falli etiam posse non adeò mirum est.

In definitionibus verò Innocentii X, & Alexandri VII, quibus non infidelis translatio Janseniani voluminis, sed liber prout à Jansenio scriptis & infinitis per orbem exemplaribus jam tum fuerat distractus, exhibitus est, & maturo examine pluribus mensibus ab Eminentissimis Cardinalibus, aliisque Apostolicæ Sedis doctissimis ac fideliissimis Consultoribus, etiam coram Romanis Pontificibus discussus, non persona Jansenii excommunicata est, non hæresios damnata, unde non hic facili alicujus, sed maximè juris quæstio decisa est. Si enim quæstio juris sit, &

tion facti, quem sensum faciat propositio quādām solitariē accepta, & ab omnibus avulsa circumstantiis, quia ejusmodi sensus pendet ab institutione vocum, & consuetudine eas accipiendi, quā institutio & consuetudo lex quodammodo est; ita quāstio juris est, quos sensus faciat liber, qui à propositionibus suis non distinguitur.

Negas-ne librum esse Jansenii, vel genuinum libri exemplar Romanis Pontificibus fuisse exhibitum? Jansenium Autorem esse famosi Augustini, nemo est qui inficietur, aut in dubium vocet; genuinum verò Alexander VII exhibitum fuisse exemplar confidenter negas pag. 70. ubi me interrogas quid censeam de insigni fallaciā illorū, qui accusantur de quodam folio in quo quinque propositiones continerentur, quodā insertum ab illis subdatē fuerit Janseniano volumini.

Accusationem probas testimonio Eximii P. Christiani Lupi ex Ordine Eremitarum S. Augustini in Lovaniensi Academia S. Theologiae Doctoris; qui testatus sit Alexandrum VII sibi dixisse quōd quinque famosas propositiones de verbo ad verbum legerit in una Jansenii pagina.

Quid censeam, non de fallaciā, quā credam Pontificem fuisse circumventum, sed de impudenti hoc tuo tuorumque gregalium men-

dacio dico brevissimè , nihil esse illo stolidius. Quid enim? An Janseniani sub Innocentio X. Legati , qui tot aureorum millia Romæ expendisse scribuntur ut nescio quos sibi ex mammona iniquitatis amicos concilia- rent , qui tantâ vigilantiâ , tot mensibus stu- duere Jansenianis sententiis ab anathemate liberandis , tam patentem fallaciam non fuis- sent subodorati , non detexissent Pontifici?

Audiatur Eminentissimus Cardinalis de Aguirre & apud ipsum Cardinalis Albitius re- rum gestarum conscius & testis. Sic habet Cardinalis de Aguirre Tomo 3. quem Romæ edidit anno hujus saeculi 90. prolegomeno quinto.

„Denique ut nemo Doctorum illorum „detrectet formulam ab Alexandro VII præ- „scriptam , omnesque absque fuco , & aper- „tissimè execrentur illas propositiones Jansc- „nii juxta sensum ab Authore intentum , prode- „rit præter ipsius Pontificis testimonium ce- „lebre de diligentia summa Romæ adhibita „in earum examine , ac damnatione , aliud „doctissimi Card. Albitii oculati testis , lib. „de Inconstant. in Fid. 3. N. 26. Aientis qua- „quidem diligentia me assistente Assessore supre- „me , & universalis inquisitionis Romana , & „maxima quidem adhibita fuit , cum sanctæ me-

„me-

„Historia Innocentius X. ad Condemnationem V.
 „propositionum ex Augustino Fansenii Decerpta-
 „rum devenit. Non enim contentus fuit, quod in
 „pluribus Congregationibus habitis coram Emin-
 „tissimis Reverendissimis supremae universalis inquisitio-
 „nis Cardinalibus inquisitoribus, sententiæ Do-
 „ctissimorum Theologorum Qualificatorum Ordin-
 „nariorum, adhibitis etiam extraordinariis Quali-
 „ficatoribus exquirerentur: sed ipse met Innocen-
 „tius per plures dies eorumdem Theologorum qua-
 „lificatorum sententias maxima cum patientia au-
 „divit, & coram se, Cardinalibus inquisitoribus,
 „& Theologis qualificatoribus quemdam Abbatem
 „de la Lane, aliosque Doctrinæ Fansenianæ fau-
 „tores admisit: Votaque Theologorum qualificato-
 „rum in scriptis redacta magno studio, & dili-
 „gentia perscrutatus fuit, aliisque Eruditiss. vi-
 „nis in Consilium adhibitis, ac indictis per Eccle-
 „sias urbis supplicationibus tandem in perygilio
 „Pentecostes ad condemnationem prædictarum V
 „propositionum devenit, afflante equidem spiritu
 „Sancto cuius assistentia in hoc gravissimo nego-
 „cio semper evidentissime apparuit. Eant nunc
 „quicumque aliter sentiunt aut loquuntur,
 „vel scripturiant de examine, discussione,
 „& consultationibus præparatoriis ad eam
 „definitionem edendam, quâ nullam diu-
 „tius, aut attentiùs Roma meditata fuit.”
 Haecenus Cardinalis de Aguirre. Sed

Sed & mendacium illud Eximio suo P. Lui-
po afflictum detestantur ejus Discipuli pariter
Eximii Desirantius, Clenardus, &c. Non
omnino prætereunda est, quia triumpha-
bundi toties jactatis de Abbatे Joachimo, dif-
ficultas. De hoc ita quæris pag. 70. *An Alex-
ander VII minus fuit errori obnoxius, cum damnar-
vit propositiones sensu Fansenii intellectas, quam
cum doctrinam Joachimi Abbatis prescripsit Conci-
lium Lateranense.*

Recte quidem id ex me quæreres, si ce-
tera forent paria: Verum disparitas rursum
est apertissima. Audiamus verba Innocentii
III. cum Concilio Lateranensi: *Dannamus,*
inquit, & reprobamus libellum sive tractatum
quem Abbas Joachim edidit contrà Magistrum.
En quæstionem geminam alteram juris, facili
alteram. Scimus ex ejusmodi condemnatione
non sequi, quod Joachim hereticus fuerit,
cum fieri potuerit ut librum damnatum ipse
non scripserit, sed aliis ad conflandam Ab-
bati invidiam, ut quidam suspicantur.

Congregatio Cardinalium inquires nullā
notavit censurā libellum Gregorii de laude
scriptum pro causā Joachimi, sed tantum
jussit adhiberi hanc moderationem: *Conabi-
mur tamen si fieri potest Joachimum defendere.*
Quid inde? Ideo ne permissum ei fuit ut do-

ctrī.

Etinam libri condemnati universam propugnaret, an verò personam, quæ damnata non fuit, seque Ecclesiæ judicio debita submissione subjicerat, ut testatur Innocentius in eodem Concilio?

Denique facile fieri potuit, ut, cum Joachimus omnia sua scripta Sedi Apostolicæ tradi curaverit, ejus *judicio*, vel *approbanda*, vel *corrigenda*, post illorum condemnationem in plerisque correcta sint, atque hoc modo ad posteros transmissa. Unde nihil pro Janseniani voluminis defensione colligitur. In hoc etiamnum spectare est propositiones quinque famosas. Certè de prima, quæ secundum omnes suos apices extat l. 3. de gratiâ Salvatoris cap. 13. nemo potest revocare in dubium. Cur saltem hujus propositionis reum non agnoscant Jansenium, vel librum qui Jansenii nomine circumfertur? Defendant Neo-Augustiniani Jansenium ipsum, quantum voluerint, non propterea eos heretios condemnabimus, modò doctrinam libri ut hereticam detestentur.

Ne primam quidem propositionem eo sensu quo jacet in libro Jansenii, damnari patitur Dominus Prior. Pag. 77. retuleram hunc Palladii articulum fideliter descriptum ex ejus Appendice ad Disquisitionem: *Apertissima veritatis*

ritatis est esse in Jansenio primæ propositionis sensum verum, ac perspicuum, qui damnari non posset, nisi tota doctrina gratia per se efficacis, & autoritas Augustini libros prædicantium in fumos eat, percufoque Jansenio, over Semipelagiana iustitia, & religio libertatis ad atria beatorum, & sedes eternas convolet. Deinde ex cap. 2. quid ni & presius sic, loqui potuit Jansenius, aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, quantum per præsens auxilium in his circumstantiis possunt, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilia siant. Quid tandem in illa propositione hoc sensu, qui Jansenii est, intellectâ, cui pari meritò potest?

Non se continet Dominus Prior ab admiratione quod hanc Palladii locutionem non agnoscam esse in primis Catholicam. Sic igitur definit pag. 61. si Palladius sit hereticus, propterea quod sensum hunc assérat esse orthodoxum, necesse pariter est s. Augustini, & s. Thomæ doctrinam iuxta Didacum de Oropega esse hereticam, eaque heresi correptos omnes ss. Thomæ & Augustini discipulos.

Aio ego genuinos Sanctorum Thomæ, & Augustini discipulos non admittere in justis aliquibus veram & propriè dictam impotentiam antecedentem & physicam qualem statuit Jansenius. Appello Thomistas omnes, & qual-

quoscumque alios , qui de Jansenismo suspecti non sunt. Interrogentur , per me licet , Eximii DD. Martinus Steyart , Petrus Marselis , Petrus Damen , adeantur Eximii PP. ac Magistri ex Dominicana familia Harneyus , Collins , Du Jardin , ex Familia S. Augustini Desirantius , Clenardus &c.

Quare , non est quòd tempus teram citandis aliis ex Jansenio locis , quibus reliquas quatuor propositiones tradit luculentè , cum ne primam quidem , quæ in Jansenio tam manifesta est , dici patiaris hæreticam , sed Catholicissimam pronunties eo prorsus sensu quo , à Jansenio in famoso volumine tradita conspicitur ; & tamen Romani Pontifices testantur ipsum esse sensum propositionis hæreticum , quem facit in libro illo ex quo quoad omnes apices desumpta est , ut ne adversarii quidem diffitentur. Quid igitur supereft nisi Ecclesiam hic in quæstione juris errare , vel Dominum Priorem cum suo Palladio tueri propositionem certò hæreticam?

Lalanius , & ceteri cum eo ad Innocentium X deputati , inquit D. Prior , declararunt sensum primæ propositionis Catholicum , ab eoque se nunquam recessuros ; estne verissimile nihil eos reprehensionis laturos fuisse à Pontifice , si censuisset sensum esse hæreticum?

cum ? Respondeo eatenus eos reprehensionem non retulisse , quia sententia definitiva à Pontifice declarata nondum fuerat , & se Lalanius cum Sociis in libello supplice partitum profitebatur , ubi Pontifici sensus ille videretur condemnandus. Non recesserunt quidem dein à præconceptis opinionibus , ubi eas conspicerent tam diro anathemate percussas , sed ea est hæreticis omnibus famulis pertinacia.

Pag. 77 dederam ex Palladii cap. 6 hanc sententiam : *Admissā interiori gratiā , quæ ipsum velle non tribuat , & qua boni voluntas non efficiaciter inferatur , sed quæ tantum potestatem bene agendi largitur , nequid à Semipelagiano errore receditur.* Quæ propositio quoad sensum eadem mihi videbatur cum quarta Jansenii.

Non quidem id negat Dominus Prior , sed contendit non esse eandem cum propositione damnata , quia juxta illum sensus Jansenii tantum à damnatione remotus est , quantum sensus sancti Augustini. Sensus Jansenii est 1 quod Semipelagiani admiserint interioris gratiæ necessitatem ad omnes actiones salutares etiam ad initium fidei , 2. quod vellent gratiam illam esse talem , cui possit humana voluntas pro innata sibi libertate dissentire , vel obtemperare , ita ut nihil prætereat

tercā ad utrumvis requiratur tenens se ex parte actūs primi. Consule Thomistas , si lubet , an in eo constiterit error Semipelagianorum. Nihil mihi hic cum gratia possibilitatis , quam Molinistis per calumniam affingis.

Gratia Molinistarum sufficiens dat verum , & propriè dictum posse , sed posse tantum. Non tamen idcirco gratia possibilitatis nisi , vel ab imperitis , vel à malevolis appellatur , qui eam cum gratia possibilitatis Pelagianorum solent confundere , quasi voluntas , quæ facultas quædam est , seu vera animæ potentia à Deo gratis concessa , ideoque à Pelagianis dicta gratia possibilitatis , eadem sit cum illustratione intellectus , & motione voluntatis supernaturali , quam gratiæ sufficientis nomine cum Scotistis , Thomistis , aliisque passim Theologis Orthodoxis Molinistæ intelligunt. Non aliam admittit I-
prensis Pseudo-Augustinus gratiam in hoc statu , nisi quæ necessitate verè antece-
denti , insuperabiliter , & indeclinabiliter om-
nem effectum obtinet , cuius in illis cir-
cumstantiis capax est ; non aliam agnoscit
Palladius Jansenii vestigiis ubique insistens
Discipulus , & Defensor fidelissimus.

Ad gratiam Molinistarum efficacem quod

Q atti-

attinet , falsum est , & centies à Moliniis negatum , quod non det ipsam operationem , sed solam operandi potentiam.

Non veretur tamen Dominus Prior vociferari , nihil eos habere communis sensus ; qui Palladii sensum cum damnatio congruere judicaverint . Expectabo à D. Priore ut me edoceat , in quo Palladii sensus à Janseniano differat ; in nullo differre profitetur ipse Palladius . Quemlibet autem verborum suorum optimum esse Interpretem semper intellecti ; Tunc Domine Prior , & ubi aliter edocias es ? Sensum Jansenii proscriptum esse declarant Romani Pontifices ; an & illi mecum insaniunt ? Tu scilicet melius , quam illi , nosti quem sensum definiendo intenderint , quem confixerint anathemate . Quid Palladius de Morte Christi pro salute hominum ? Propositioni 5 , inquit Palladius , ut Orthodoxæ in sensu Jansenii adherendum est . Et tamen sensus ille à Sede Apostolica heretios est condemnatus : Pontificis sententiæ suffragatur Ecclesia : pergit equidem Dominus Prior æquè imperterritè hunc nobis Paragraphi sui 23 titulum occinere : sententia Palladii maximè Catholicæ .

Cur propositionem 5. D. Prior prætermisserit vix scio ; nisi quod frustra videretur re-

pe-

petere propositiones singulas, cum generaliter omnes juxta Jansenii sensum plusquam semel cum Palladio professus sit, esse Catholicas.

Jansenistarum Priorem non decet meticolosum esse, ideo etiam in Adversarios suos fulmen convertit, assertens gratiam per seipsum efficacem impugnari non posse, nisi à Pelagii Discipulis, & Ascleclis: meque interrogat, an præter ejusmodi gratiam quidam dāmm in Jansenio. Dicam candidē me neque omnem gratiam per se efficacem Catholicam agnoscere, neque omnem hæreticam. Talem censeo Calvinianam, & Janseniam; Thomistarum verò, aliorumque Anti-Jansenistarum defendi fateor Catholicè. Discrimen inter gratiam, tūm sufficientem, tūm efficacem Thomistarum, dedi non semel in Difficultatibus propositis Domino de Swaen, & antè tradidit Cranebergius in fraude quinque Articulorum.

Efficaciam, sive virtutem movendi, esse gratiæ intrinsecam affirmant etiam Molinistæ; efficaciam verò operantem infallibiliter, & potentiam antecedente insuperabilem esse negant, neque id adstruunt Thomistæ, non Bonæspeciani, non Scotistæ & quotquot alii Janseniano idolo genua non fleunt. Si omnes illi Pelagii Disci-

Q 2 pul

puli sint , Viderit Dominus Prior , ad quam paucos Ecclesiam Catholicam extendat.

Exciderat , quod ad propositionem quartam Prior cum suo Palladio profitetur , *Gratiæ interiori hominem posse resistere si velit* : Hoc se procul abesse à damnato Articulo , imo ei directè contradicere significans pag. 63. Quod si non capimus , negat nos Theologæ trés dics , ut par est impendisse. Sic inanum verborum fucis Lectorem conatur ludere , omnium Jansenistarum , atque ipsius in primis Jansenii morem secutus : *Gratiæ interiori potest homo resistere*.

Verùm potesne velle resistere efficaciter gratiæ interiori , quæ reverà effectum obtinet ? Habesne omnia se tñentia ex parte actus primi , ut gratiæ efficaci , qualis est omnis in statu naturæ lapsæ juxta Jansenistas , reipsâ dissentias ? Hoc juxta Thomistas est posse gratiæ efficaci dissentire in sensu diviso.

Notum Catholicis Doctoribus est , quo sensu Jansenistæ cum Magistro suo admittant gratiæ interiori resisti posse , quo scilicet Pigmæus potest resistere Giganti , à quo indeclinabiliter superatur ; vel ut Dominus Gummarius loquitur sicut lapis resistit impetu. Hoc sensu evidens est eum resistere seu gratiæ ,

tiae, seu concupiscentiae vici trici, quisquis vult resistere, accipiendo resistentiam pro qualcumque reluctantia sive innata, sive elicita. Gratiæ vero, quæ juxta Jansenianos dat velle quoddam imperfectum, certum est etiam sensu quodam resisti, sed improposito, & qui Romanorum Pontificum definitionibus non sufficiat. Exigunt illæ ut humana voluntas aliquando dissentiat gratiæ verè sufficienti, sive præter quam non requiritur aliud auxilium tenens se ex parte actus primi. Similiter ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur ut quis resistere possit concupiscentiae, gratiæ vero sufficienti, licet inefficaciter temperare, sive necesse est ita hominem esse constitutum, ut ad ponendum re ipsa actum vel omissendum, nihil præterea desideretur ex parte actus primi, & positum extra hominis potestatem.

Hæc pluribus vide in difficultatibus jam cœtatis, & Fraude V Articulorum, quæ pluribus repetere supervacaneum est.

C A P U T X I V.

Expenditur paragraphus 13. An Doctrina Domini van Vianen sit maximè Catholica, ut eremitus Prior affirmat.

Non mirum est Doctrinam D. Francisci van Vianen prædicari à Priore nostro maximè Catholicam, cum juxta ipsum nihil magis Catholicum sit, quam quod Jansenius, & quidem in V. famosis propositionibus, post Jansenium verò Palladius tradidere.

Ab his non recedere Dominum van Vianen ultrò concedo. Quapropter ut quis iudicium ferre possit de Doctrinâ hujus Theologi, sufficiunt, quæ de Palladio disputavi. Ne tamen aut magnus ille Vianæus, apud suos *Pater Abraham* se contemptum queratur, aut Dominus Prior defensione suâ tamquam invictâ glorietur, quidquid Vianæo objeci in Responsione ad inceptam Anonymi comparationem hic instaurabo.

Retuleram ex Thesi 2. anni 1676. defensâ die 26. Junii hæc Vianæi verba. Non tantum

gr.^u

gratia agendi , sed & gratia seu auxilium proximè sufficiens ad orandum , quibusdam etiam justis justè denegatur. In quæ ita adverteram. "Sic constitutus est justus ille ut quidquid voluerit , & conatus fuerit secundum præsentes , quas habet vires , non tamen sit obtentus gratiam proximè sufficientem , ne ad orandum quidem , & ulterius à Deo auxilium postulandum. Quid sequitur nisi præcepta aliqua justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires esse impossibilia , deesse quoque illis gratiam , qua possibilia fiant , quæ est propositio I. inter Jansenii haereticas?

Hic me tanquam ineptum disputatorem arguit Adversarius , quasi oblitus sim hujus dialecticæ regulæ à dicto secundum quid ad dictum simpliciter non valet consequentia ; an ignoras inquit non sequi ; *Ethiops non est niger dentibus*: Ergo *ethiops non est niger*? Gaudeo Domine Prior te saltem regulam unam aut alteram dialecticæ callere , quamvis in ejus applicatione cæcitatem tuam iterum prodas , vel fallaciam. Argumentationem meam turpiter truncatam refers tanquam si immediate ex verbis Vianai inferam propositionem damnatam.

Cur quæ verbis Vianai subnexui quæque sub-

subsumpti loco sunt reticuisti? En tibi acute dialectice argumentationem meam formâ Syllogisticâ expressam; nam nisi particula *atqui*, & *ergo* adhibeantur, argumentationis vim non intelligis. Juxta Vianæum omne auxilium proximè sufficiens tum ad agendum, tum ad orandum, sive ad ulterius auxilium petendum aliquibus justis à Deo negatur: at qui præcepta sunt impossibilia respectu omnium, quibus omne ejusmodi auxilium à Deo negatur: Ergo aliqua Dei præcepta sunt justis impossibilia.

Ulterius: quisquis destitutus est omni auxilio proximè sufficienti, sive ad agendum, sive ad ulterius à Deo auxilium petendum, quidquid secundùm præsentes, quas habet vires voluerit, quidquid conatus fuerit, non tamen obtinebit auxilium proximè sufficiens, adeoque omnes illi justi non habent auxilium sufficiens sibi à Deo paratum, & oblatum, consequenter non est in eorum potestate illud obtinere, atqui de omnibus sic constitutis verè dicitur, quod aliqua Dei præcepta sint hic, & nunc observatu impossibilia, desit quoque gratia, quâ possibilia fiant. Ergo &c.

Si Dominus van Vianen cum iis sentiret, qui dicunt cuilibet justo cum urget præceptum

ptum, adesse auxilium proximè sufficiens saltem ad servandam legem naturæ, vel ad non avertendam aliò mentem, ad non ponendum obicem auxilio proximè sufficienti, quod Deus ex parte sua concedere paratus est, si creatura legem naturæ servaverit, aliò mentem non averterit, non objecerit impedimentum, desinere grandævo illi Patriarchæ molestus esse.

Verùm certum est 1. juxta Vianæum nullam dari gratiam in statu naturæ lapsæ, nisi cur operatur omnem effectum, cuius in his circumstantiis capax est. Certum est 2., non esse juxta Vianæum in potestate creaturæ omni gratia destituæ, abstinere à peccato, & ab opponendo impedimentoo gratiæ.

Quid igitur affingo temerè Vianæo cum dico ex ejus propositione, suppositis ejus principiis, sequi Jansenianam primam. Consecutionem necessariam percepisset Lector, si argumentationem meam integrum retulisses, non verò tantum partem, omissis perfidè iis omnibus, quæ subsumpti locum occupabant.

„Propositio, inquis, Vianæi non agit de „justis volentibus, & conantibus servare „mandata. Primus verò articulus inter 5 hæ- „reticos ne justis quidem volentibus, quan-
tum-

, tum cumque bonâ voluntate , & conatu ,
 , quantumvis magno conantibus gratiam
 , concedit ad implenda præcepta necessa-
 , riam ; quod perspicuè hæreticum est , &
 , justissimè condemnatum . Verùm quamvis
 , dogma illud maximè hæreticum sit , quod
 , à nemine unquam hoc sensu est traditum ,
 , non sequitur propositionem Domini van
 , Vianen pariter hæreticam esse , vel dam-
 , nata m in illo articulo , à quo evidens est
 , eam differre , quam maxime .

Jam dixi propositionem Vianæi à me ac-
 ceptam esse non tantùm secundùm verba ibi
 tradita , sed suppositis simul principiis ab eo
 alibi assertis , quæque Scholæ ejus Neo-Augu-
 stinianæ sunt communia . E. G. anno 1671
 1 Augusti Thesi 2 Vianæus docet : *omnem*
gratiam obtinere suum effectum omnem , quem
 creatura in his circumstantiis per eam po-
 test operari . Ponamus igitur justum , qui
 habeat gratiam proximè sufficientem ad vel-
 leitatem quādām , & conatum inefficacem .
 Volet ille præceptum implere , & conabitur se-
 cundùm præsentes , quas habet vires , non ha-
 bebit tamen gratiam proximè sufficientem
 ad præceptum implendum , neque ad oran-
 dum , sive ulterius auxilium impetrandum ;
 ergo præceptum illud erit observatu impo-
 sibile

sibile justo volenti , & conanti secundum
præsentes , quas habet vires , deest quoque
illi graria , quâ fiat possibile.

En sensum Patris vestri Abraham planè
conformem sensui Jansenii. Et cur duos hos
ce Ecclesiæ vestræ Patriarchas inter se facias
dissidere ? Scio Domine Prior id te minimè
intendere , quin potius gravissimam te mihi
dicam impacturum , si dissidii inter eos ali-
quid ostendere aggrederer ; nihil enim juxta
te potest esse magis Catholicum , & Augu-
stiniænum , quam quod Jansenius docuit , e-
tiam in propositione 1 inter 5 , cuius om-
nes termini , & apices in Jansenio l. 3 de
gratia Salvatoris capite 13 sunt perspicue.

Ad illud , quod ait , primum articulum
damnatum negare , justis quantumvis bona vo-
luntate volentibus , & conantibus conatu quan-
tumvis forti gratiam ad implenda præcepta necessa-
riam , falsissimum est ; nam eodem proposito
capite , ex quo prima propositio desumpta
est , dicuntur justi illi tantum velle velleitate
quâdam , & conatu debili , quia gratia in-
structi sunt tantum debiliori , disertè autem
additur tunc eis præceptum fore possibile ,
quando ardenti voluntate , conatu magno , &
robusto volituri sunt , & conaturi . Verum ad
conatum illum , & voluntatem tam fortē
deest

deest h̄ic, & nunc gratia proximē sufficiens, adeoque ejusmodi volitio, & conatus est ei impossibilis. Sic homini cruribus destituto gressus, imò & cursus erit possibilis; si modò cruribus donetur, quibus caret, & quæ sibi procurare, vel obtinere non est in ejus potestate, neque Deus illi statuit conferre. In hoc tibi consentio, quòd sensu illo nullus primam propositionem tradiderit, ne Jansenius quidem, sed alio, qui & Jansenii est loco cit: & à Sede Apostolica declaratus hereticus.

Quamvis ex dictis facilè quivis Theologus perspiciat solutionem argumenti, quod petis ex hac Logicæ Regula non valere consequentiam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, quia tamen ea est, vel cæcitas vestra, vel maligna, & mendax arrogantia, ut mox jactetis tanquam non solutum, nec ullâ ratione solubile si quid Confutatione explicita, & palpabili protritum non sit, responsionem etiam h̄ic evidentem, & maximē explicitam præstare non detrecto.

Non valet, inquis, consequentia: Dominus van Viane docet justis aliquibus non adesse gratiam proximē sufficientem, potentiam proximam bene operandi, & orandi: ergo docet ipsis impossibile esse bene opera-

perari , & orare . Consequentiam nullam esse probat tum ex Regulâ Dialecticæ jam citatâ , tum ex eo quod aliqui sequeretur : Æthiops non est niger dentibus , ergo Æthiops non est niger .

Contendo ego argumentationem meam esse legitimam , si subintelligantur ea , quæ aliundè manifesta sunt , & hic à Theologis Catholicis subintelligi scio , cetera verò probari possunt efficaciter .

En argumentationem paulò fusiùs deducam : Tunc dicitur quidpiam esse , & reverà est alicui impossibile , quando ad hoc tantum habet potentiam inadæquatam , vel remotam , ita ut proxima ipsi non offeratur , neque in promptu habeat illam sibi comparare . Atqui justus in casu respectu observationis mandatorum tantum habet potentiam inadæquatam , & remotam ita ut proxima ei non offeratur . neque in promptu habet illam sibi comparare , ergo in casu , siue sententiâ Domini van Vianen præceptorum observatio est justo illi impossibilis .

Quid hinc negaturus es Domine Prior ? An enuntiationem primam ? Hæc nimis est evidens . Quis enim neget cursum illi esse impossibilem , cui utrumque crus confractum sit ? impossibilem ayi volatum alis destitutæ ,

vitam diuturnam esse impossibilem ei , cui nihil alimenti præter unciam panis unicum supersit? Magnificentissimi ædificii structuram tibi esse impossibilem , si nihil in promptu habeas , nec comparare tibi possis præter paucos lapides , nihil cæmenti , nihil ligni &c. Denique impossibile est instruere copiosam Navium bellicarum classem ei , qui præter paucos aureos nulla habet ad præstandos sumptus tam immodosos præsidia , neque est unde sibi comparet. Atqui tamen in his omnibus casibus est potentia quædam inadæqua- ta , & remota , sed ita ut ad proximam af- surgere , non sit in subjecti , sive agentis po- testate.

Non teram tempus in stabiliendâ enuntia-
tione 2. cum sit clarissima doctrina Vianæi , ne-
que id inficiari potest Dominus Prior , aut si in
aliquo mentem ejus non videar asscutus , in-
dicer mihi Jansenianus Prior , aut Gummarus
decrepiti sui Patriarchæ famosus hæres , &
penè in Lectione , penè in sanctiori Theo-
logorum Collegio , sive , ut loquuntur , in
strictiori facultate Successor. Conclusio au-
tem est legitima , vel designet mihi Adver-
siorum aliquis quid erroris subsit aut fal-
aciæ.

Regulam Dialecticæ , quod à dicto secun-
dum

dum quid, ad dictum simpliciter non valeat consequentia ultrò admitto. Verùm ad rem non pertinet, cùm non sit argumentatio à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, non enim per impossibilitatem observandi mandata simpliciter dictam plus intelligitur, quam negatio potentiae proximae, si hujus consecutio non sit in nostra potestate.

Præterea potentia sensu vestro remota tantùm est potentia secundùm quid, non potentia simpliciter, ut tam multis à me exemplis jam demonstratum est. Quemadmodùm ergo rectè concludit hæc argumentatio; Æthiops tantùm est albus secundùm quid, nempè secundùm dentes, ergo non est albus simpliciter: sic etiam rectè concludit ista: Justus, qui sensu Vianæi, & Jansenistarum communiter caret potentia proximæ observandi mandatum, tantùm habet potentiam secundùm quid; ergo non habet potentiam simpliciter,

Ergo simpliciter est illi præceptum observatu impossibile. Denique non ignoras, Domine Prior, si quid Theologiæ, vel faltem Philosophiæ noveris, ut bonum, & perfectum est ex integrâ causâ, malum autem, & imperfectum ex quolibet defectu, ita plurimas esse denominationes negativas,

quæ propter unius partis præfertim notabilis negationem absolute tribuuntur, & simpli-
ter. E. G. cui vel unum prædicatum essen-
tiale deest, simpliciter dicetur non habere ta-
lem essentiam, nisi hominem dixeris, qui ra-
tionalis non est, si prædicata cetera adfuerint.

Dicesne hic me argumentari à dicto se-
cundùm quid, ad dictum simpliciter, quan-
do ex eo, quod aliquod subiectum non ha-
beat rationalitatem hominis, infero non ha-
bere simpliciter naturam hominis? Sicut igi-
tur hic respondere cogeris, & coguntur
omnes, quòd sit argumentatio non à dicto
secundùm quid ad dictum simpliciter, sed
à negatione partis ad negationem totius; si-
cut quando ex negatione quartæ unitatis re-
ctè sequitur negatio numeri quaternati, sic
etiam cum posse simpliciter dicat potentiam
non inadæquatam tantùm, aut remotam,
sed præterea proximam, vel saltem requirat,
ut proxima tibi offeratur, vel in potestate
tuâ sit eam tibi procurare: Sic ubi hæc deest
neque in potestate tua est eam comparare,
rectè diceris simpliciter non posse. Potentia
currendi multos nervos importat, uno in-
ciso simpliciter diceris non posse currere, li-
cet alii nervi integrisunt. Vides igitur, Do-
mine Prior, superiorem Logicæ Regulam

à te frustrà , & ineptè applicatam ; non è-
nim ideo contendō rectè deduci conclusionem
quia procedit à dicto secundùm quid ad di-
ctum simpliciter , sed quia à negatione partis
essentialis rectè sequitur ad negationem essen-
tiæ simpliciter , quod omnes tenentur admit-
tere , nec ullus unquam inficiatus est. Po-
tentia autem proxima saltem oblata , est jux-
tā Theologos omnes Catholicos de ra-
tione potentiae simpliciter æquè , ac rationa-
litas de essentia hominis.

Non valet argumentum , Æthiops non
est niger dentibus ergo Æthiops non est ni-
ger , quia denominatio nigri simpliciter juxta
communem acceptationem non requirit , ut
forma insit omnibus omnino partibus , sed
tantum præcipuis. Quando verò denominatio-
nes affirmativæ excludunt omnem defectum ,
denominatio opposita rectè tribuitur
simpliciter , si vel secundùm partem defectus
contigerit : E. G. quia denominatio Catho-
lici involvit fidem omnium mysteriorum , quæ
revelata , & sufficienter proposita sunt , sic
denominatio non Catholicus , vel hæretici sim-
pliciter rectè tribuitur propter defectum , vel
in uno solo fidei articulo. Undè sequitur ; Re-
verendus admodum Jansenistarum Prior non
est Catholicus secundùm materiam proposi-

tionis primæ Jansenianæ , ergo idem Domi-
nus Prior simpliciter non est Catholicus , sed
verè , propriè , & simpliciter hæreticus.

Magis miratur Dominus Prior , quod ex
hâc Vianæi propositione defensâ anno 1671.
¶ Augstii Thesi 2: *Quamvis gratiæ resisti possit ,
omnis tamen suum obtinet effectum , non tan-
tantum formalem , sed omnem prorsùs , ad
quem in his circumstantiis est sufficiens ; de-
ducam propositionem secundam inter quinque dam-
natas . Cavet sibi adversarius , à vocandâ pro-
positione Janseniana ; quia sensum Vianæi
cum Janseniano prorsus eundem esse satis
perspicit . Ut doctrina , inquit , Vianæi cum dam-
nata congrueret , deberet docuisse , quod omnis
gratiæ semper obtineat omnem effectum , ad quem
movet , vel excitat , hoc scilicet necesse est , ut
dicatur , interiori gratiæ nunquam resisti in statu
naturæ lapsæ ; gratiam autem depravatione , &
malitiâ nostræ voluntatis impediri , quo minus ob-
tineat effectum , ad quem excitat , in rigore , &
propriè est Spiritui Sancto , ejusque gratia resi-
sti .*

Ita pro suâ authoritate definitionem Se-
dis Apostolicæ Dominus Prior interpretatur .
Quæ interpretatio si foret genuina , & legi-
tima , manus darem Jansenistis , Magistrum
suum , & quoscumque alios à propositionis cen-
sura

surâ vindicantibus. Verum cum in Jansenianî Voluminis sensu propositio condemnata sit , neque sensus jam relatus ullo modo sit Jansenii , evidens est non in illum sensum vibratum esse Anathema , sed in hunc , qui verè Jansenii est , & Domini van Vianen , eorumque sequacium : *Omnis gratia interior in statu naturæ lapsæ semper obtinet omnem effectum , ad quem in his circumstantiis est sufficiens.*

Illud autem cum Thomistis , voco auxilium sufficiens , quod nullum præterea tenens se ex parte actus primi ad effectum obtainendum desideret. Impedire effectum , ad quem tale auxilium , vel reipsâ datum est , vel saltem oblatum , propriè est Spiritui Sancto , ejusque gratiæ resistere ; Cuinam vero Jansenianâ hæresi non cxcæcato , ut est noster ementitus Prior , probetur hic loquendi modus , *Tunc propriè resistimus Spiritui Sancto , ejusque interiori auxilio , quando divina gratia nos excitat ad querendam effectum , ad quem vires non habemus sufficientes saltem oblatas ? In ejusmodi profecto casu dñe dendus foret Spiritus Sanctus ejusque adjutorium nobis potius deesse , quam nos illi.*

Voluntatis , inquis , depravatio , & malitia obest ne gratia effectum ulteriorem consequatur.

Scio

Scio, sed in vestris principiis non est in potestate voluntatis praesenti tantum auxilio instructæ, nullo præterea oblato, depravationem, & malitiam illam tollere, vel eâ suppositâ efficere, ut effectus non impediatur defecitu alicujus tenentis se ex parte actus primi, Voluntatis enim depravatio juxta vos oritur ex concupiscentia; quæ si intensior sit quam delectatio gratiæ, secundum illam operemur necessie est. Janseniana illa sunt, minimè Thomistica; quarè turpiter imponis, cum a iis Jansenistarum sensum hic non alium esse, quam Thomistarum.

Ad demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri juxta Vianæum libertatem à necessitate antecedente, probaveram ex ejus Thesi 2 anni 1684. 28 Novemb. ubi ita pronuntiaverat. Deus non tribuit omnibus in universum hominibus, nullo dempto, verum & sufficiens auxilium supernaturale ad implenda præcepta naturalia, quæ supposito peccato implere non possunt solis naturæ viribus, etiam dum instat adimpletio præcepti.

Hæc in responsione ad ineptam Anonymi comparationem §. 2. cum retulisse, subsumebam: & tamen non adimplendo præcepto peccant, & demerentur juxta van Vianen ejusque Aſſeclas. Igitur ad demerendum

dum non requiritur libertas à necessitate,
quod damnatum est in propositione Jansenii tertia.

Etiamnum admirabundus quærit D. Prior,
„Quid connexionis sit inter propositionem
„Domini van Vianen, & illam ab Innocen-
„tio X condemnatam, ad merendum & de-
„merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur
„libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coa-
„ctione. An quod gratia necessaria fit ad pec-
„candum liberè? An quòd, si Deus omnibus
„gratiā suā negaret, nullum esset pec-
„catum? An verò quòd Deus nobis gratiam
„suā debeat? Impia hæc dogmata Pelagia-
„nis deteriora sunt.”

Quænam sit inter Thesim Domini van Via-
nen, & damnatam propositionem connexio,
jam ostensum est. Liber non est à necessitate
peccandi, cui non adfunt, nec offertuntur
auxilia necessaria, aut ullo modo sufficientia
ad peccatum vitandum? Quid autem est aliud
peccare necessariò, quàm non posse hīc &
nunc à peccato abstinere? Potentia inadæ-
quata, & remota, qualis est in homine crui-
ribus fracto ad currendum, superiùs explosa
est.

Addo hīc minus potentiae, adeòque &
& libertatis esse in omissione præcepti, quod
sine

sine gratia impleri non potest , quām sit in omissione cursūs , ubi crux , etiam utrumque confractum est . Nam causa præcipua cursūs est anima , sive facultas animæ , crura se habent tantum quodammodo ut instrumenta quæ ab anima moventur ; gratia vero est causa principalis operum ad salutem conducentium , ut in sententia Adversariorum sunt omnia opera præter peccata . Igitur absente gratiâ deest causa principalis , & maximè necessaria , quæ in sententia Jansenistarum non est mera applicatio , ut in sensu Thomistarum ; sed est robur aliquod ad elendandas concupiscentiæ vires necessarium , tenens se ex parte actus primi .

Non est gratia necessaria ad peccandum libere
hoc sensu quod gratia debeat influere in
actum peccaminosum , neque est necessaria
conditio , ut peccetur illis actibus , qui sine
gratiâ omitti possunt , secùs si non possint .
Nam juxta totius Ecclesiæ , & omnium ho-
minum sensum , stultum est præcepta impo-
nere , eorumque omissionem imputare ad
peccatum , & demeritum illi , qui non habet
potestatem implendi . Atqui præcepta , quo-
rum omissione nos peccaturos ait Dominus
van Vianen , sunt ejusmodi , ut sine gratiâ
impleri non possint , & tamen homini gra-

ria prorsus omnis negatur juxta eundem Do-
ctorem.

Aio ergo, gratiam datam, vel saltem o-
blatam, esse conditionem necessariò requi-
sitam ad peccandum liberè iis actibus, qui
sine gratia omitti non possunt, assero hanc
esse sententiam Ecclesiæ communissimam inquit
vel unum exhiberi mihi cupio, qui differ-
tiat, de Jansenismo non suspectus. Pronun-
tiare equidem pergit Jansenianus Prior sen-
tentiam esse Pelagianâ magis pestiferam.

Ex dictis facilis patet responsio ad quæ-
stionem secundam, an si Deus nulli gratiam
concederet, nullum esset peccatum. Vel enim
supponis peccatum aliquod sine gratiâ vitari
posse, vel non. Si primum, admitto pecca-
tum aliquod fore etiam negatâ omni gratiâ;
si secundum, assero nullum peccatum fore,
scilicet formale & demeritorium: de alio
nobis nulla questio. Huic resolutioni sub-
scribent ni fallar omnes Catholici, qui Janse-
nianam hæresim detestantur. Et tamen do-
gma illud rursus proscindere non vereberis,
tamquam Pelagiano horribilius. Ut vobis
scilicet Catholici simus componenda est pec-
candi necessitas cum peccato formalî, & de-
meritorio.

Non debet Deus nobis suam gratiam ab-

so-

solutè, & simpliciter, alioquin enim gratia, ut nos docet Apostolus, non esset gratia. Supposito autem, quod Deus nobis aliqua præcipiat, quæ sine gratia impleri non possunt, dictat ei infinita sua sapientia, & bonitas, concedenda esse media, sine quibus præcepta impleri non possunt.

Sic famulo, aut mancipio equum suum non debet herus absolutè, sed in hypothesi, quod jubeat eum in illis circumstantiis iter confidere, in quibus non nisi equo Domini sui instructus poterit. Si enim alioqui herus imperet, & medium unicè necessarium, quo impleri præceptum possit non præstiterit, vel obtulerit, tyrannus potius habebitur, barbarus, & insanus, quam sapiens & justus Imperator. An rationi, & æquitati naturali faciet satis, si dicat, habes artem seu potentiam equitandi, ideoque quamvis omni equo destitutum equitare te jubeo, & ni mox parueris, offendes me gravissimè, teque mandatis meis rebellem non levibus afficiam suppliciis? Iterum dico, herum ejusmodi ut crudelem, & insanum omnes explodent, omnes detestabuntur. Talem nihilominus, Domine Prior, cum tuo Vianæo, statuis Deum præcientem ea, quæ sine gratia impleri non possunt, & tamen omni gratiâ nos

nos destituentem : neque dubitas cum nobis
offensum exhibere , & intentantem æterna
supplicia ni paruerimus . Jansenianam hanc
impietatem , nisi ut fidei dogma amplectan-
mur , anathema intorques , & impietatis rur-
sùs nos condemnas plusquam Pelagianæ .

Ubi Dominum van Vianen de Jansenismo
tam apertè conviceram , cum ad supremam
jam senectutem proiectus sit , ut spectato
ordinario naturæ cursu non multùm ei tem-
poris superfit , quo disponere domui suæ , seque
ad iter æternitatis comparare possit , rogabam
eum , O obtestabar pag . 8 . ut jam saltem ,
quò hactenus adduci non potuit , hoc saluti suæ ,
hoc Theologorum Lovaniensium edificationi , hoc
conversioni Jansenistarum dare non gravetur , sub-
scribat condemnationi & propositionum Jansenii in
sensu eiusdem Autoris .

Poteramne submissius virum istum conve-
nire , & verbis blandioribus precari ? Et
tamen etiam tam modestam , tam salutife-
ram orationem ægrè fert Dominus Prior ;
quærit ex me , quid mihi juris sit in Dominum
van Vianen , ut ab eo exigam , quod à Lovanien-
sibus nunquam exegere Romani Pontifices .

Nihil equidem juris mihi vendico in Ve-
teranum factionis vestræ ducem ; sed an ju-
re , aut Potestate aliquâ superioris opus est ,

S

ut

ut quis alterum pronus oret , atque obtestetur ? An honori , famæ , imò & saluti alienæ consulere nemo potest nisi superior , & quidem supremus totius Ecclesiae Moderator ? Tanto jam tempore Vianœus scandalô suit Lovaniensi Universitati , tot annis doctrinam Jansenianam ejusque Sectatores singulari suâ , quâ pollebat industria , & autoritate promovit : factionem illam Apostolica- rum Constitutionum contemptricem , nova fidei , nova morum dogmata molientem latè propagavit , tantisque auxit incrementis , ut multitudine suâ confisi novi homines audirent non in Episcopos tantum insurgere , non tantum Decretis Pontificiis palam illudere , sed & summam Ecclesiis Belgicis calamitatem minitari , & à Rege Catholico secessionem non absimilem ei , quæ Cardinale Granvellano Belgium moderante sub Philippo Secundo , tot urbes , & Provincias Regis Imperio subduxit . Et erit mihi nefas Doctorem illum jam fato propinquum juxta præscriptum ab ipso nobis ordinem amoris horari , ut saluti tandem suæ prospiciat ; & scandalis , quibus , vel causam præbuit , vel occasionem , remedium tandem adhibeat , quo nullum potest esse viro Theologico honestius , nullum excogitari facilius , nullum tantis malis magis opportunum . An

An non etiam postulant Romani Pontifices à Lovaniensibus Theologis, ut omnes ad gradum Academicum promovendos jure jubeant in Constitutiones Innocentii X, & Alexandri VII? Atqui in Constitutione Alexandri disertissimè damnantur propositiones 5 tanquam ex Jansenii Augustino excerptæ, & hæreticæ, in ejusdem Authoris sensu, prout illo libro exprimitur. Quapropter quando Lovaniensis aliquis post præstitum ejusmodi juramentum subscribit condemnationi propositionum quinque, ut excerptarum ex Jansenio, & hæreticarum in ejusdem sensu, tantum explicitè declarat, quod implicitè termino generaliori, & minus distincto juraverat.

Quânam verò ratione Theologi isti hoc se juramento obstringant, & libellis passim præsertim Anonymis jactent non esse Janseñii, non esse hæriticas, sed maximè Catholicas, fateor non assequi me, multò minus hæc posse componere cum implacabili, quod in scriptis profitentur, restrictionum odio, cum Augustiniano candore, & simplicitate minimè vulgari.

Complurium propositionum ab Alexander VIII proscriptarum reum esse Dominum van Vianen, citatis fideliter ejus locis eodem

responsionis § demonstravi. Nihil solidi repe-
ricens Adversarius, quod opponat, remittit me
ad eos, qui quædam circa Decretum illud Ro-
manæ Inquisitionis notarunt. Hos me adire ju-
bet D. Prior; ab his discere quantum reveren-
tia Decreto illi debeatur, & quo sensu propositio-
nes intelligenda sint.

Quando Decretum Alexandri VIII pro-
diit contra Thesim Divionensem de peccato
Philosophico, non vocabatur Decretum quod-
dam Inquisitionis, sed Summi Pontificis Con-
stitutio. Non disputabatur, an aliquid, &
quantum esset Decreto illi tribuendum auto-
ritatis, quod ab omnibus suspiciebatur ut
infallibile. Speciale est illud Neo-Augustinia-
norum privilegium, à quo concessum nescio,
ut non alia Pontificum Decreta admittant,
quàm quæ rebus suis judicaverint oppor-
tuna.

Multò plura scripta sunt de propositioni-
nibus quinque Jansenii, quàm de triginta &
unâ dainnatis ab Alexandre VIII: cur igi-
tur, ut contentus non es remittendo me ad
Notas in famosas quinque Jansenii proposi-
tiones, sufficit tibi remittere ad notas in pro-
positiones 31? Minùs scilicet tutum tibi vi-
debatur circa Decretum tam recenter edi-
tum cavillari, viventibus illius Pontificis Con-
sul.

sultoribus, qui sensum condemnatum optimè noverint, & temeritatem tuam fortè non paterentur impunitam. Denique nimis clara videbatur, ut revera est clarissima, doctrinæ Domini van Vianen, cum quibusdam inter 31 propositionibus consensio.

Quia tamen ita jubes, adeo aliquos ex Neo-Augustinianis, qui suum de autoritate, & sensu Decreti illius judicium expresserunt. Primus occurrit Author Notarum Brevium, quas non nemo in Thesibus Lovaniis meritò vocavit *breves & leves*, nihil enim continent præter cavillationes, quæ omne Decreti robur enervant, ita ut aërem potius ferire visus fuisset Pontifex, quam ullam Theologii alicujus sententiam, aut definire aliquid controversum, aut frenum injicere novitibus. Satis hoc conspicatus Dominus Prior, non ausus est *Notas* illas, seu interpretationes in medium proferre, quod nimis imbellis hæc videretur defensio, & ad Vianum damnatarum propositionum invidiæ subducendum parùm profutra.

Efficacior fortè videri poterit desumpta ex Epistola Domini Malpaix Gallicè scripta anno 1691 2 Februarii. Sic orditur:

„Versa est cythara in luctum.

„Domine, scribo tibi in amaritudine a-

S 3 nimæ

„nimæ mæ. Ruimus de malo in pejus. Mæ-
 „ra Catastrophe ! cuin nos lactaremus fidu-
 „ciâ, fore ut Roma Veritatis, & æquitatis
 „partes tueretur, fulmen Vaticano emicans
 „verticibus nostris minatur, nosque indubie
 „feriret, nisi in Alpes impingens dissipatum
 „esset, & elisum. Quale scandalum ! quan-
 „tus hinc pavor junioribus, qui ejusmodi
 „tonitruis non asluevere ! miserum Innocen-
 „tium XI, qui impedire post obitum suum
 „non potuit, quod vivus averterat; qui nun-
 „quam permettere voluit, ut Decretum tam
 „scandalosum promulgaretur, quamvis Mo-
 „nachorum factio, & atra turba Escobarii
 „Inquisitionem toties precibus sollicitasset.
 „Omnes bonarum partium studiosi concepto
 „ex Decreti illius promulgatione mœrore
 „conficiuntur atque incredibili terrore percul-
 „si sunt ; *Quia prævaluit inimicus* satis hinc
 „perspicis, mi Domine, Româ, Monachis, &
 „superioribus Ecclesiasticis in nos irruenti-
 „bus, nam *solutus est satanas ad modicum tem-*
 „*pis*, quam cautè nobis hoc tempore agen-
 „dum sit, ne sermo durus suscitet furorem
 „Primum, & secundum vœ, abiit, & ecce
 „tertium, &c.

Non minus illustres Notæ in idem Apo-
 stolicum Decretum sunt, quas scripsit qui-
 dam

dam Pseudo-Augustini Discipulus , assumpto
Abbatis titulo , in Epistolâ ad quemdam
Prælatum Romanæ Curiæ. Apertè ait De-
cretum esse ineptum , & ridiculum , nullius
autoritatis , nullâ dignum reverentia . Ut au-
tem validiori ariete illud concutiat , certus
est , non inquisitionis tantum , sed & sum-
mi Pontificis , in quibuscumque Decretis
condendis autoritatem subruere. Sic loqui-
tur pag. 31. prætendunt hodiè Curia Romanae a-
dulatores , omne Decretum nomine Pontificis insi-
gnitum , recipiendum esse tamquam oraculum :
& spiritus schismatici suspicionem incurrere , qui
hac de re vel minimum dubitat.

Eâdem pag. Sat notum est , quâm parùm
Pontifex conserat in ordine ad condenda Decreta ,
& quam ineptus sit , qui multum ad id confe-
rat.

Ejusmodi habet plurima. Ad has scilicet
Abbatis sui notas Dominus Prior nos remit-
tit , ut discamus quantum Decreto Alexan-
dri VIII deferendum sit.

Reum præterea egeram Dominum van
Vianen Baianismi , citatis ejusverbis , & ac-
curatè collatis cum propositionibus Baianis.
Ad accusationem illam altum silet Dominus
Prior , procul dubio quia cum iis censet ,
qui etiamnum sustinent pervicaciter aliquas

ex Baianis in rigore , & proprio verborum sensu ab assertoribus intento defendi posse ; quæ est cavillatio de famoso commate , jam pridem irrefragabili Romanæ Curiaæ testimonio , & geminæ bullæ exhibitione debellata.

Nihil denique habuit Dominus Prior , quo excusaret objectum hoc Domino van Vianen infame dogma , quod tradidit anno 1687 die 9 Maii sic statuens . mere commentitia est , vel imprudenter extorta , in annos centenos , aut millenos indulgentiarum liberalitas . Quæsiveram an non digniora ista sint Ministello Luthe rano , quam Theologo Lovaniensi ? Desperat Vianæi Patronus de reperiendâ responsione , quam & Vianæum tueatur , & non offendat nimium aures Catholicas .

Satis scilicet defensum existimat vocando , senem venerandum , qui in amore sit , & pretio omnibus , qui ejus merita non ignorant : Notre venerable Viellard , qui a l'amour , & l'estime de tous ceux qui connoissent son merite . Quid ni addidit elogium , quod ex Apologia Historica Domini Gery retuleram pag . 80. ubi Vianæus vocatur senex optimus , qui totus sit candor , & sinceritas : ce bon Viellard , qui est la sincérité même .

Nolim , Domine Prior , sua Domino van Via-

Vianen merita invidere , quamvis , si non detur major libertas , quām à vobis asserta , facile probarem nulla esse Vianæi merita , nihil eum egisse laude , & præmio dignum . Utinam habeat alia , quām propter quæ præcipue vobis in amore , & pretio est ! Quid Janseniana merita valeant apud Deum , dies docebit . Quod si saltem ante obitum cognoverit , beatum prædicabo . Hanc ei scientiam non speculativam tantum , sed practicam ex animo voveo , certus plus ei totâ æternitate profuturam , quām omnes pro Jansenianæ factionis defensione , splendore , & incremento tot annis exantatos labores .

Appendicis loco subjungit Adversarius aliquid de DD. Huygens , Hennebel , de Swaen , Lacman , Opstraet , & ceteris Vianæi Sociis , olim Discipulis , Clientibus , Umbris vel , si malis , Appendicibus .

„Non foret (inquit) difficile ostendere , „quòd nunquam docuerint ullam ex quinque propositionibus , in quibus Jansenius „consistit , quòdque eorum doctrina sit maxime orthodoxa . Verùm , præterquam quòd „non nisi parùm rationis compotem esse oporteat , ut quis discriminem detegat , quod „est inter eorum doctrinam , & articulos ab

, Ec

„Ecclesiâ condemnatos , nuntiatum mihi est
 „Theologos illos se accingere ad responden-
 „dum Oropegæ calumniis , & probandam
 „orbi universo suorum dogmatum integrita-
 „tem.

Fateor , Domine Prior , non fore tibi
 difficile probare de Dominis Hennebel , de
 Swaen , Lacman , Opstræct , &c. saltem
 Dominum Huygens si excepéris , quod non
 magis Jansenistæ sint , quām Vianœus , &
 Palladius ; quām verò bellè duos illos à
 Jansenismi maculâ purgaveris , aut potius
 Janseniano luto altissimè immerseris , Le-
 ctor judicaverit ex iis , quæ superiùs dispu-
 tavimus.

Quantum verò gratiarum tibi egerint
 Theologi isti , præsertim Martinus de Swaen ,
 & Petrus Melis pro hac tuâ tam insigni
 Neo-Augustinianorum defensione , vehe-
 menter cupio me reddas quām primum cer-
 tiorem . Sic enim probasti Jansenismum esse
 merum Phantasma , ut illum tamen sensu
 meo , qui Catholicis omnibus communis est ,
 plus rei habere ostenderis , plures illo invol-
 veris Theologos , quām ego , aliquique pas-
 sim Anti-Janseniani habuerimus tantum sus-
 pectos . Certè si tibi consentiant afferenti ,
 plures , quām mihi persuadeam , doctrinam

Jan-

Jansenii approbare tamquam maximè Catholiceam , & verè Augustinianam, inmeritò queruntur de impacto sibi Janseniani nominis convictio , cum illud nemo Theologorum alio sensu ipsis intorqueat , quām quòd Janseniana placita probent , foveant , tueantur.

Majoris apud me expectationis sunt terribilicæ illæ Apologiæ , quas moliuntur Dominus Huygens , Dominus Hennebel , Dominus Lacman , Dominus Obstraete , &c. Quorum placita contuli cum doctrina Illustrissimi in *Confutatione Anonymi* à pag. 74 , usque ad finem ubi respondi ad ineptam *Anonymi comparationem inter doctrinam Illustrissimi & Novatorum*. Medio jam anno montes illi parturiunt , quid non monstri parient , aut ridiculi muris ! Quot hic *opera justæ molis* mihi imminent ! si non rationum , certè librorum pondere , & multitudine obruendus sum. Initium pugnæ dedit Martinus , aut potius graviori , ad quod cum ceteris se accingit certamini , levi tantum velitatione prælufit.

Dominus Melis nondum quidem eruditioris alicuius , sed zeli ferventioris , & rari inscribendo acuminis specimen dedit in libello supplice. Stylum in Oropegam , inquiunt per,

pergit acuere etiam magis , noluit subscribere Epistolæ Domini de Swaen , ne videatur alienis armis diuinicare , & non audere proprio Marte in arenam descendere , vel ne alienis obstrictus , & implicitus sententiis minùs foret ad sua propugnanda placita expeditus.

C A P U T X V .

Expenditur Paragraphus ultimus de criminibus ab Adversario objectis.

Confutatio libelli Anonymi ab initio usque ad finem si adversariis fides est , vix quidquam continet præter convitia , calumnias & fraudes. Audiamus quām insigni Præfatione pag. 71. viam sternat ad præsentem articulum : „Supereft (inquit) dispi- „ciendum quām impudenter hic Illustrissimi „Apologista contumelias atrocissimas , ca- „lumnias maximè abominandas , & falsissi- „ma quæque jacet , non modò in eos , qui „conqueruntur de scandalosis , & pernicio- „sis Archi Episcopi sententiis , uti & de in- „justo ac violento ejus regimine , verùm & „in omnes qui nimium afficiuntur erga Chri- „sti gratiam , & Evangelii regulas , ideo- que

„que necessariò incurunt odium Jesuitarum,
„aliorumque Pelagianorum & dissolutorum
„Casuistarum. „

Sic autem Paragraphum orditur : „Non
„existimavit Oropega , quòd ullâ ratione me-
„lius adulari posset Archi-Episcopo, quâm fal-
„sis ejus laudibus immiscendo contumelias
„acerbissimas adversùs eos , qui Illustrissimi
„sententias , & mores non probant. Vocat
„eos tenebriones , flagitos , impios , Eidei &
„Religionis hostes , impudentes calumniatores , re-
„belles Ecclesiæ , furentes schismaticos , Novatores ,
„hæreticos manifestos. „

Priora epitetha collegisse se testatur ex
Epistolâ , quam falsò vocat dedicatoriam ,
media ex opusculi pag. 35. posteriora ex Præ-
fatione. Illorum pleraque à me in adversarios
vibrata esse non inficior , de ultimis mox vi-
debimus. Si autem circumstantiæ rerum , &
personarum propriis inspiciantur , cuiuslibet
æqui arbitri judicio relinquo decernendum ,
an ex omnibus vel unum sit , quod non abun-
dè mereatur is , cui intortum est. Expenda-
mus locos singulos qui ab Adversario citan-
tur ; sic habet initium Epistolæ :

„ ILLUSTRISSIME AC REVERENDISSIME
„ DOMINE
„ Miserrimam fore non diffiteor probo-
T rum

rum hominum , ac præsertim Principum
 conditionem , si quoties TENEBRIONI nef-
 cio cui FLAGITIOSISSIMO ; spretis humanis ,
 divinisque Legibus , libuerit infamis ali-
 quid scriptiunculæ protrudere , toties pro
 se Apologias conscribere teneantur , aut
 eorum silentium , objectorum criminum
 agnitus censenda sit. ,

Estne h̄ic , prudens lector , verbum quod
 vir ullus honestus adversus se aut alios præ-
 terquam in famosorum libellorum Authores
 occultos dictum arbitretur?

Aut̄ummat scilicet Dominus Prior me *tene-
 brionis flagitiosissimi* nomen applicatum tacite
 voluisse Clienti suo ejusque sociis , qui sub idem
 tempus ediderunt libellos geminos , alterum
 flandricè , latinè alterum contrà Archi-Epis-
 copum , quin & suspicatur me non de tribus
 tantùm libellorum istorum scriptoribus cogi-
 tassem , sed & de iis omnibus , quorum con-
 sensu , consilio , & quācumque ope editi sunt:
 quorum sumptibus , & curâ clanculūm dis-
 seminatī.

Suppone , per me licet , omnes illos
tenebrionis flagitiosissimi nomine à me compre-
 hensos , nihil eis impegi citrā meritum :
 quid enim non mereantur , qui vago quo-
 dam nomine Discipulorum S. Augustini , sine
 ul-

ullâ Cenforis ordinarii approbatione integrum Archi-Episcopum , tyranum vocant & adulterum ; qui sacras Inquisitiones à Romanis Pontificibus institutas similiter tyranicas , omnes Belgij Episcopos propter promulgatam híc regulam quartam indicis Tridentini , hæreticos appellant & hoc ipso Romanos Pontifices , qui regulam approbant , quidni omnes Lusitaniae , omnes Hispaniae , omnes Italix Episcopos , Cardinales , & animarum Pastores qui eamdem regulam de non permittenda passim lectione bibliorum in lingua vulgari , religiosè observant , statuunt hæreticos ?

Hos omnes adversarii nostri trium famolorum adversus Archi-Episcopum libellorunt . Autores anonymi extrâ Ecclesiam esse jubent , hos omnes feriunt anathemate , hos Christiani gregis interfectores potius , lupos & pestes quam patres esse pronuntiant .

Specimina aliquot collegeram in *confutatio-*
nis Prefatione sub medium . Qui plura deside-
rat adire non gravetur tres memoratos ad-
versariorum libellos ; unius , alteriusve ho-
ræ spatio eorum lectionem absolverit . In his
reperiet omnes censuras , omnia scominata
jam citata , pleraque formalibus terminis ,
cetera æquivalentibus expressa .

E 2 Si

Si vel unus reperiatur vir honestus nulli
partium addictus , sive Theologus fuerit ,
sive non , qui libellis istis attentè perfectis ,
judicaverit , immerito me in eos invectum ,
causam non dico , sed reus haberi volo & ini-
quus accusator . Verum certus sum nullum
ab adversario producendum , qui libellis
istis nomen suum subscribere audeat , vel ne-
get eos famosos esse , & cum suis autoribus
gravissima supplicia promereri .

Hanc in eos sententiam tulit Regis nomi-
ne & autoritate supremus Geldriæ Senatus
anno 1691. 29. Maii Ruremunda :

„ Viso libello supplice , quem Guberna-
„ tori , Cancellario & Senatui Regio in Gel-
„ driæ Ducatu obtulit Consiliarius & Fiscalis
„ Regis , leculis quoque in pleno Senatu die
„ 28. Mensis (Maii) tribus LIBELLIS FAMO-
„ SIS hic adjunctis , quibus titulus : I. Decre-
„ tum Archi-Episcopi Mechliniensis notis illustra-
„ tum 2 brevis & necessaria instructio omnibus
„ Belgii Catholicis de lectione Scripturae Sacrae .
„ 3. sententia & mores Archi-Episcopi Mechli-
„ niensis male defensi , compositis ab HOMINI-
„ BUS TURBULENTIS , & SEDITIOSIS , ut sub-
„ diti concitentur ad REBELLIONEM , ut red-
„ dantur refractarii salutaribus & laude dig-
„ nis superiorum suorum Ecclesiasticorum .

Con-

„Constitutionibus non sine gravi offendio-
 „ne , NOCIMENTO , & SCANDALO populi ,
 „in QUIETIS PUBLICÆ PERTURBATIONEM ...
 „Senatus post maturam deliberationem sen-
 „tentiam ferens nomine & Autoritate Re-
 „gis tamquam DUCIS Geldriæ , committit
 „memorato Consiliario & Fiscali Regio , ut
 „sedulo inquirat in Autorem superiorum li-
 „bellorum , qui SCANDALOSI sunt , ERRO-
 „NET , & SEDITIOSI , NOXII FAMÆ , AUTO-
 „RITATI , & MANDATIS SALUBERRIMIS Il-
 „lustriſſimi Archi-Episcopi Mechliniensis ,
 „ut prædictus Autor pro delicti gravitate , &
 „secundum Regiorum edictorum rigorem in
 „exemplum aliorum puniatur .
 „Statuit præterea , ut tres ifli libelli FA-
 „MOSI , & IMPII manu carnificis in pegmate
 „publicè comburantur , severè prohibens bi-
 „bliopolis omnibus , ne libellos istos PER-
 „NICIOSOS & CALUMNIOS infames in Provin-
 „ciam inducant aut illic divendant .

Hanc ego prudentissimi , & religiosissimi
 Senatus sententiam secutus sum , quamvis
 ut ex speciminiib[us] suprā adductis satis patuit ,
 sententia illâ haud opus sit , ut non tantum
 gravissimas opusculorum illorum labes , &
 impietatem quis detegat , sed etiam animum
 in Autoribus minimè Christianum .

Neque nimis dure locutus sum in præfatione ; cum post citatos fideliter ex libellis istis locos , quibus aperte pronuntiant hæreticos omnes esse , qui imperitis promiscuam in vulgari lingua sacrarum scripturarum lectionem prohibent , adeoque omnes Hispaniæ , Lusitaniæ , Italiæ , & Belgii Episcopos . Eminentissimos Cardinales , Inquisitors supremos , & Romanos Pontifices esse hæreticos , Ecclesiam , si lectionem istam prohibeat , esse non veram Christi Ecclesiam , sed congregationem satane ; non , inquam , nimis dure locutus sum , quando fideliter relativis istis ex libello Flandrico sententiis , hæc subjunxi : *A tam insolenti , & stupidâ , qua furentis potius schismatici est , & manifestè hæretici calumnia , quam studiosa Theologi accusatio , non est quod Illusterrimum Archi-Episcopum vindicem , satis tutum tot Episcoporum , Cardinalium , & Romani Pontificis , rectius dixisse Romanorum Pontificum , Societate.*

An non schismatica vox est , quæ membra à capite separat , Fideles in Ecclesiasticos principes & Pastores , in Episcopos , in Cardinales in summos Christi Vicarios commovet , quasi lectionem scripturæ promiscuam in lingua vulgari prohibendo , Christi fideles optimi sui parentis testamento &c hæredi-

reditate , pretiosissimis thesauris , & nefario animarum pabulo injustissime spoliarent ?

An non schismatica vox est , quæ omnes Belgii , Lusitanæ , Hispaniæ , Italæ Ecclesiæ versa in vulgarem lingua biblia ordinariè non permittentes imperitæ plebi , negat pertinere ad veram Christi Ecclesiam , sed ad congregationem satanæ ? An non etiam hæretica vox est , negans Ecclesiæ potestatem talia præcepta fidelibus imponendi , imo potestatem hanc proscindens ut hæreticam ? Quis Catholicus hæresios damnet regulas Tridentini Indicis , Apostolicæ Sedis autoritate sepius confirmatas ? quis Catholicus religiosos earum observatores vel propterea ad Ecclesiam satanæ ableget , & castra hæreticorum ? iterum dico , & centies velim repetitum , eam esse potius suentis schismatici & manifestè hæretici calumniam , quam studiosam Theologi accusationem .

Et tamen etiam hic , ut ubique alias , infida est Adversarii relatio .

Nam i. Affirmat eas à me censuras jactari locis citatis in eos , qui non probant sententias Archi-Episcopi , ejusque agendi modum . Ut falsitatis hæc manifestimæ convincantur , tantum oculis optis est : consideret Lector locos

locos singulos ; nūsqam ago de iis , qui
fententias Illustrissimi , vel agendi modum
non probant , sed de iis , qui gravissimē cri-
minantur libellis Anonymis , & infamibus ,
qui Archi-Episcopi , & ceterorum Belgij
præclarissimorum Antistitum præcepta con-
culcant , Romanorum Pontificum autorita-
tem convellunt , Ecclesiam discindunt .

2. Non omnes hīc Archi-Episcopi Ad-
versarios increpo verbis citatis ex p̄afatione ,
sed solum Authorem libelli Flandrici , nisi
fortè ceteros Neo-Augustinianos ad ejus
compositionem , editionem , distractionem
contulisse aliquid affirmaveris .

3. Aferere , quōd vox quāpiam scisma-
tici hominis , & hæretici potius sit , quām
Theologi orthodoxi non est pronuntiare a-
liquem apertē schismaticum ? E. G. Illustris-
tus Dominus Fierlant Brabantiae Cancel-
larius de R. Patris Gabrielis doctrinā statuen-
te quemcumque coitum non esse nisi mollietim ,
si fiat cum intentione conceptionem impediendi ,
aiebat esse vafri Lenonis vocem , aut callide lena ,
non gravis Theologi Ideōne Illustrissimus Can-
cellarius Reverendum P. Gabrielis testatus sit
esse Lenonem ?

Sic ubi hanc Vianai Thesim in Confu-
tatione descripsoram , mērē commentitia est ,

vel

vel imprudenter extorta in annos centenos , aut
millenos indulgentiarum liberalitas , sic interro-
gabam , an non digniora ista sunt Ministello Lu-
therano , quam Theologo Lovaniensi ? Quis dicat ,
me hoc ipso asseruisse Dominum vñ Vianen-
ex Neo-Augustinianorum Patriarcha factum
esse Ministellum Lutheranum ?

Denique , si dicam gestationem fictitio-
rum crinum in viris nec senibus , nec cathar-
ro singulariter obnoxiiis , & quibus proprium
capillitium satis densum est , sed subrufum ,
aut non admodum elegans , esse hominum
sæcularium potius , & laicorum quam sacer-
dotum : ideone censendus sim dixisse quod
omnes illi , homines sæculares sint , & lai-
ci ? profectò litem brevi intentarent mihi
zelosi non pauci , vulgo Rigoristæ apud quos
potissimum usus hic invalefecit , procul du-
bio quia conformiorem existimant veteris
Ecclesiæ institutis , & Patrum traditioni ;
nam capillitium istud à viris gravibus ad blan-
ditias adhiberi , non autumo . Domino de
Swaen planè necessarium est , quia in locis
sublimioribus , ut situm est Collegium Alti-
collense , venti plerumque rigidiores sunt .
Non immeritò etiam à Domino Gummaro
illud assumptum est , postquam sinistra , nes-
cio quæ Bruxellis cum aura afflavit .

Quid-

Quidni & de venatione dicatur , quòd sit exercitium laicorum potius , quàm clericorum ? Ideone omnes , qui venantur , hoc ipso fieri dicantur laici ? millenis hæc exemplis confirmarem ubi foret necessè . Adeòque Domine Prior non Theologiæ tantum imperitus es , & Philosophiæ , sed & in communi loquendi more multum peregrinus . Aliud igitur est actionem aliquam certæ hominum conditioni potius convenire , aliud cum eâ infallibiliter esse conjunctam .

Odiosum me reddere vis Lovaniensibus , cùm ais me pag . 6. loquentem de Facultate Theologicâ Lovaniensis Universitatis affirmare , quod dogmata , que indè hauriri possunt , sunt heretica , impia , & schismatica .

Quis non arbitretur me universam Facultatem Theologicam accusasse , & quidem quasi nihil ab eâ traderetur , quod non sit hereticum , impium , vel schismaticum ? Hoc singulare est Prioris nostri studium , ut ubique incautos fallat , ubique insidietur , ubique infideli relatione imponat . Aliud pag . illâ non egi , quàm retundere insultationem Adversariorum , quasi summum fuerit Illustrissimi infortunium , quòd Theologiæ olim in Schola Patrum Societatis operam dederint . Sic argumentabar : non est , quod Illustrissimum

num pœnitentia, aut pudeat, quod Societas Scholam adolescens frequentaverit, etiam si inter sententias innumeræ maximè sanas una fortè reperiatur, & quidem, quæ tum erat in Scholis, quorumvis Ordinum, & Universitatum, maximè Lovaniensi receptissima, quæ nunc sit Ecclesiæ judicio reprobata. Nam præter propositionem hanc, etiam alijs fortè in Schola Academica didicisset deteriores. Verisimile est, inquiebam, non pauca à Jansenii sequacibus dogmata hausturum fuisse heretica, impia, schismatica, qualia tum in Jansenio, tum in alijs comprehensa, & à pluribus Romanis Pontificibus, nuper etiam Alexandro VIII condemnata.

Ex his patet altera adversarii fallacia inducentis me tanquam si agerem de Facultate Theologicâ præsentis temporis; cum evidens sit ex verbis citatis, & toto contextu, agi de Facultate, quæ fuit à quadraginta & amplius annis: nisi fortè adversarii contendat, ut aliqui stulte gloriantur, Facultatem Theologicam Lovaniensem suorum dogmatum semper fuisse tenacissimam, ubi constat æque eam, imò magis, quam ullam aliam Universitatem suas passim fuisse vicisitudines. Nam, ut certum est, eam olim fuisse firmissimum fidei Catholicae in Belgio pro-

propugnaculum , ità non minus exploratum est , à Michaelis Bay temporibus frequenter eam parte sui non minimā , nec semper in melius fuisse mutatam , quandoque etiam aliquos non sine pertinaciâ Baianas & Jansenianas sententias defendisse , non paucas ex 31. ab Alexandrò VIII. condemnatis . Vide ri potest Hilarius à S. Sepulchro ; qui , si fortè in uno hallucinatus videatur , in plurisque veros propositionum autores indicavit . Plures addere potero , si quis desideraverit .

Atqui propositiones Baianæ damnatae sunt in sensu Autorum ut hæreticæ , erroneæ , suspectæ , temerariae , scandalosæ & in pias aures offensionem immittentes respective . Jansenianæ omnes in sensu Jansenii ut hæreticæ ; prima præterea ut impia , blasphema , & anathemate damnata . Quinta etiam ut impia , blasphema , contumeliosa , divina pietati derogans : triginta verò & una ab Alexandro VIII. damnatae sunt tanquam , temerariae , scandalosæ , male sonantes , injuriosæ , hæresi proximæ , hæresim sapientes , erroneæ , schismatica & hæretica respective .

In ea autem tempora incidisset Illustrissimus adolescens Humbertus , quibus Facultas Theologica Lovaniensis à fermento Janseniano non erat planè immunis ; an & hoc scim-

tempore satis expurgata sit, facile colligitur ex variorum scriptis, ut *speciminibus doctrina Lovaniensis, libellis Erasmi Pilii, Cornelii à Cranenbergh,* & non nullis etiam meis: patebit idem magis, si ad Ecclesiæ Belgicæ pacem, ad Jansenismi extirpationem, & discernendos filios iniquitatis à genuinis sanctorum Augustini, & Thomæ Discipulis proponatur Religiosis, Theologis, & Ecclesiasticis omnibus à potestate publicâ, seu legitimis Superioribus formulae Alexandri cum iis explanationibus, quæ omnem exceptionem & restrictionem præcidat.

Accepi exemplar formulæ cum explicatione clarissimis terminis expressum: quod omnibus, sive ad sacros Ordines, sive ad curam animarum promovendis ab Illustrissimo Namuncensi proponitur, & saluberrimo hujus exemplo etiam ab Archi-Episcopo Mechliniensi assumptum, omnium Belgij Episcoporum autoritate confirmandum, & ordinandorum deinceps, ac promovendorum fidem, atque erga Apostolicas definitiones reverentiam hoc lido lapide explorandam confido. En tibi exemplar.

Ego Constitutioni Apostolice Innocentii Decimi data die 13 Maii 1653, & Constitutioni Alexandri Septimi data 16 Octobris 1656

V sum-

suumorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus, Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem Autore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, & damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hoc sancta Dei Evangelia.

1. Juro autem secundum intentionem Alexandri VII. prefati non tantum in reverentiam Constitutionum, de quibus in dictâ formulâ, sed etiam in veritatem eorum.

2. Et non tantum in veritatem eorum, qua in istis Constitutionibus spectant ad jus, sed etiam eorum, qua ut loquuntur, spectant ad factum ab Alessandro VII definitum hoc est me damnare quinque propositiones, non solum generaliter in omni sensu heretico, quem habent, sed etiam specialiter, ut excerptas ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus, Augustinus, & in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento, seu in predicto ejus libro expresso. Sic me Deus adjuvet, & sancta ejus Evangelia.

Intelligo jam inde unum, alterumve in Diocesi Mechlinensi præ nimia conscientia teneritudine, ut nuper aliquem Namurci, non a sum formule subscribere, dimissum tantisper fuisse, donec conscientiam suam rectius formare didicerit; scrupuli enim isti non

non decent viros Theologos , & solent esse
nimis noxiū , ne dicam eos esse pallium ad-
tegendas Jansenianas sordes , & damnatas ab
Ecclesia hæreses tacitè fovendas , ex Gallia
ab Arnaldo ejusque Sociis profugis huc in-
vectum . Redeo ad Dominum Priorem .

Ait me in *Epistola* , ut vocat *dedicatoria* , &
in ipsa *Confutatione* pag . 29 . per horrendam
calumniam asserere , quod Lovaniī Theologi do-
ceantur violare confessionis arcānum , & *Divae Vir-
ginis* , aliorumque Sanctorum cultum impugnare .

Dum Epistolam citatam attentè pervolvo-
nusquam reperio factam de Lovaniensibus
mentionem , neque aliud huc spectans ,
quām breve Archi Episcopi encomium his à
me verbis concinnatum : "Quapropter Illu-
"strissima vestra gratia , quam strenua fidei
"Catholicæ defensio , religiosa Constitutio-
"num omnium Apostolicarum Observantia ,
"sollicita , ac verè paterna totius gregis cu-
"ra , pacis , & concordiæ inter Clerum , &
"Religiosos amor , avitus Sanctorum cultus ,
"vindicatum poenitentiæ sigillum , totius vi-
"tae integritas , sanioris doctrinæ studium ,
"bonis omnibus amabilem , invidiâ , & cri-
"minationibus impiorum superiorem reddi-
"dêre , apologiis opus non esse meritò ju-
"dicavit ." Nihil hic me à veritate alienum

scripsisse norunt omnes Theologi Religiosi Catholici, & avitæ fidei potius, quam Novitatum Studiosi, qui & Archi-Episcopum norunt, & Dicecessios illius statum.

Non minori diligentia scrutor Confutationis paginam 29; sed neque illic ullam invenio Theologicæ facultatis Lovaniensis mentionem. Objecerat Illustrissimo impudens Calumniator, quod nec melius, nec plus nosset, quam in Schola Patrum Societatis didicerit. Cui ita respondi: "plura scilicet, & meliora sciret Illustrissimus Archi-Episcopus, quam in Jesuitarum Scholis didicisset; si laxandum duceret Sacramenti pœnitentiarum gillum: si arroderet Sanctorum cultum, etiam Deiparæ: si eorum imagines, & sacra Lypsanæ simul cuin venerabili Sacramento supplicationibus circumferri veterantur, nequidquam ad rei novitatem stupentib[us], & tumultuantibus civibus: si hujus facti sui rationem redderet Calvini verbis." Plura alia ibidem commemoro ad alias materias spectantia.

Nunc tuos Lector oculos consule, an idem hic à me assertum videoas, quod objectum ab Adversario. An autem verbum sit, non exploratissimæ veritatis, que invis sanximentis arbitrum non reformido, saltem Belgica-

gicarum rerum , & controversiarum non omnino ignarum , neque novandi libidine excoecatum. Uter igitur calumniatus sit , e-
gone Facultatem Theologicam Lovaniensem , cuius locis ab Adversario citatis ne memint quidem , an Adversarius me calunniæ re-
darguens , alii judicent.

Quam arctum quibusdam Lovaniensibus fit sigillum confessionis , colligitur tum ex quadam Thesi à Lovaniensi Mechliniæ editâ , & damnata Romæ , tum ex testimoniis , & factis plurimis , quæ non ignota sunt , & penè publica. Non dubito , quin Illustrissimus Archi-Episcopus Diœcesim visitans , deprehenderit plura , quam expectaverit , aut vulgo expediat propalare.

Mihi certè Lovaniæ , licet domi meæ , & ferè in musæo , tamquam in solitudine degenti , nulla sit cum ullo civium familiaritas , rarissimum ullius , præterquam domestici , alloquium , facta quædam nimis comperta sunt. De cultu D. V. & Sanctorum plura quam dixi , sunt notoria. A quibus Novitates circà supplicationes &c. tot turbarum in Belgio cause Alphonso inspiratae sunt ? Quibus famosa *Monita Salutaria* potissimum placuere ? A quibus laudata & approbata sunt ? Nonne inter ceteros à quibusdam Lovaniensibus ?

Quid de veneratione reliquiarum, SS. Imaginum, quid de Rosario, Scapulari, Zona S. Francisci, &c. quid de piis fidelium Confraternitatibus aliqui Lovanii censeant, non obscura produnt indicia. Fortè nondum censem opportunum omnia prodere. *Tempus Novatoribus adhuc nimis nebulosum est.*

Collegii Pontificii circà ista judicium indicare cœpit clarissimus Dominus Van Espen Doctor Juris Canonici peritus & Collegii illius Domesticus, sed præmaturè interpellatus est, partim ab iis, qui dictata ejus publica, partim ab aliis, qui quoddam ejus cum matronâ Acatholicâ colloquium denuntiarunt.

Indè delaberis ad Missionarios aliquos Hollandiæ, DD. Van Vianen, Huygens, Hennebel, De Swaen, Melis, Lacman, Cuyper, De Witte, Vander Linde, Opstraete, P. Gabrielis. Hos omnes dicis *non alia probatione reos à me agi*, quam quod subscribere detrectent nova Jesuitarum hæresi de praestandâ fide divinâ factis non revelatis, quod condemnare nolint Doctrinam S. Augustini quæ est Doctrina Ecclesiæ, quamque vel sciunt, vel prudenter admodum oportantur esse fideliſſimè relatam, & explicatam in Jansenii volumine.

Quod juramentum formulâ Alexandri VII.
fine

sine exceptione , sine restrictione præstium , hæresim voces , eamque novam Jesuitarum , responcionem non meretur , neque aliter melius te stultum criminatorem , & putidum Jansenistam poteras comprobare . Quædam Doctrinæ Neo-Augustinianorum illorum specimina exhibui in comparatione , non nulla etiam in aliis opusculis : si plura viri isti requirant , dignentur mihi verbo significare , operam illis meam satis promptam polliceor . Sed & certiorem me reddant , an probent hanc tuam pro se Apologiam .

Quereris me subinde invehi in Arnaldum . Respondeo nunquam eum à me reprehendi quantum meretur . Utinam hæc audiat Arnaldus , & se tandem corrigat ! utinam jam tandem tot hæreses à se defensas detestetur , errores & calumnias retractet !

Hæresim unam tibi postulas à me probari . Respondeo 1. esse quinque Jansenianas , quas ex professo defendit duabus integris pro Jansenio Apologiis . 2. Hæresim de negatâ Petro tentato gratiâ sine quâ nihil poterat , habes in censurâ Sorbonicâ , quâ propositio Arnaldi hæresios damnaea est , atque Autor à Sorbonæ Collegio , & Societate tanquam membrum

putridum resciſſus. Videri quoque poſſunt
acta Universitatis Piſtavienſis in quā nemo ad
gradus ullos admittitur niſi Hærefi Arnaldinæ
dixerit anathema. 3. Hærefiim propositio-
niſi i. inter 31. damnatas ab Alex. VIII. tradit
in denuntiatione peccati Philosophici. 4. Hæ-
refiim de bicipiti Ecclesiâ docet in præfatione
libri de frequenti Communione, neque in
ullâ ſuâ Apologiâ hærefiim hanc efficaciter à
ſe amolitus eſt.

Hæc, aliaque plura fuſius pertractata da-
bit D. de Monbron. Nolo falcam mittere in
meſſem alienam. Sed neque his immorari va-
cat diutius, quia procul hinc evocor ad quem-
dam celebrem & S. Conventum. Hoc meis,
ſi qui forteſint, qui ſibi à me quidpiam de-
beri existiment, creditoribus denuntio. Non
enim decet virum ingenuum clam, & non
persolutis debitibus aufugere.

Uni ſorori Arnaldicæ me vel potius Ty-
pographum, aut correctorem, nam *Confu-
tationis* impressioni adereſſe non licuit, debito-
rem agnoſco, addenda eſt vox *Die* pag. 36.
linea 8. Hanc enim Epifcopi Lingonensis
citatum à me testimonium continent. Tan-
tum contendo mirabilem illam sanctimonia-
lem ut aliis præluceret exemplo, quandoque
plu-

pluribus mensibus , semel etiam Paschali die communione abstinuisse.

Ais falsum præterea esse quod tunc fuerit Superior , uti & quod quinque mensibus communione abstinuerit.

Resp. neutrum à me assertum esse ; sed tantum quod voluerit sic aliis prælucere exemplo , quod possunt etiam subditæ ; si vero per tantas virtutes aditum sibi panderit ad superioris dignitatem , quid non egerit eò jam evecta ? de quinque mensibus testatus est Episcopus Lingonensis , ego mensium numerum non determinavi ; forte etiam Lingonensis non intellexit de 5 mensibus planè integris , sed ut Christus tribus diebus fuit in sepulchro .

Si Adversarius postulaverit , edam testimoniū Lingonensis Episcopi integrum cum notis brevibus , & testimonia Cardinalis Richelii , duorum Abbatum , aliorumque de sanctitate , quam tantoperè prædicas , Joannis Vergerii . Addere potero quædam alia , quæ virum à vobis tantoperè celebratum faciant notiorem .

Finem *Confutationi* , & *responsioni ad compensationem* sic imposui : " factonis vestræ spiritum dolosum , schismaticum , hæreticum

„cum nova quotidie , eaque non obscura
 „produnt indicia. Litteræ Conjuratorum
 „non nullæ in Catholicorum manus incidē-
 „re : arcanæ , sed manifestè hæreticæ
 „vestræ Ecclesiæ propria fidei professio sep-
 „tem comprehensa Thesibus , jam luci ex-
 „poni cœpit , & validè impugnari. Quid
 „de hâc Episcopi , præfertim Atrebatenis
 „nactus confitentes reos sibi subditos , quid
 „Cardinalium Congregatio , quid Apostoli-
 „ca Sedes judicaturi sint , quid decreturi ,
 „brevi , ut confido , edocebimus . „

Multa hîc vociferaris de fallaciâ fictitii Arnaldi. Verum ut fraudem istam nec loco ci-
 tato , nec usquam alias probavi , ita nec fi-
 citum Arnaldum defendendum suscepi. Un-
 de paginas 12. frustrà implevisti querelis , &
 invectivis. Doctrinam & Epistolas ab Arnal-
 do illo detectas , aîo mereri omnia epitetha
 quæ verbis jam citatis continentur.

Tu contendis homines illos probos esse ,
 & sanæ doctrinæ ; quia nulla juxta te doctri-
 na sanior est quàm Janseniana. Hanc censes
 esse verè S. Augustini , & Ecclesiæ Catholi-
 cæ. Lector in memoriam tantum revocare
 dignetur Epistolam Domini Malpaix , versa
 est cythara in luctum , &c. Si plura desideret ,
 adeat

adeat libellum , cui titulus *secrets du parti de M. Arnauld decouverts depuis peu , editionis 2o pag. 51. usque ad 55.* inveniet , eandem Epistolam Domini Malpaix , cujus ut initium supra relatum , ita & finis , quem subjicio , satis mirabilis est. Sic exclamat : *Misera Dei mei Ecclesia quomodo hoc tempore gubernaris !* Apostolus vult , ut Epistolæ suæ legantur à fidelibus omnibus ; Episcopi autem Romanus , Mechliniensis , Cameracensis prohibent. Cui credendum est . Indubie primo , cui locutus est Deus Iterum dico , quale scandalum istis Neophytis !

An hæc spiritum Catholicum sapiunt , an hæreticum , & schismaticum ? Quid de sententiis factionis istius decretura sit Cardinallum Congregatio , quid Apostolica Sedes , etiamnum expectandum est . Gravissimis cas censuris notarunt Theologi Parisienses à Rege Christianissimo Consulti , quid de iis censem Episcopus Attrebensis , quid Vicarii Tornacenses , patet non tantum ex gravissimis reprehensionibus , sed etiam censuris Ecclesiasticis , quibus in quosdam ceteris minus reos feruntur animadvertisse. Alii , quid sibi faciendum sit , intelligent brevi , vel jam inde intellexerunt ex Episcopis , ad quos miseri sunt.

(240)

Interea dum Sedis Apostolice judicium de
Duacenis Thesibus expectamus , consolatur
nos hoc breve acceptum nuper ab Amico
responsum.

VigesIMâ febrVarII Ianseniste DVaCo
eXpVLsI sVnt.

F I N I S.

Imprimatur.

NICOLAUS DU
BOIS Librorum
Censor.

statuta
Libelli
famosi
De
Malino.

D. I.
Th
447